

CONSTITVTIONES
DIOECESANÆ SYNODI

Quas Illustriss. ac Reuerendiss. Dominus

F. D. MATTHÆVS FATIO

ORD: PRÆDICATORVM, S. T. MAGISTER
Episcopus Pactensis, Regius Consiliarius, &c.

Omnibus suæ Diœcesis Ouibus

Iuxta S. Conc: Trid: sacrorumque Can:
normam Seruandas decreuit.

Anno Domini 1687. Die 30. Nouembris.



Panormi, ex Typographia Iacobi Epiro. 1688.

Impr. Vanni V. G. Impr. Ramundetta R.P.

Ex libris Can.ci D. Ant. M. Mangitore

IN NOMINE SANCTÆ, ET INDIVIDVÆ TRINITATIS, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI.

SVB AVSPICIIS BEATISSIMÆ, SEMPERQVE VIRGINIS MARIÆ, ET SANCTÆ FEBRONIÆ V. ET M. PACTENSIS.

NOS FRATER DON

MATTHAEVS

FATIO S. T. MAGISTER; DEI, ET Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Episcopus Pactensis, & Regius Consiliarius, &c.

SINGVLIS DIGNITATIBVS, CANONIcis, Parochis, Rectoribus, & totius Pactensis Diœcesis, Archipræsbiteris, Vicarijs, Clericis, ac vniuersis quibuscumq; personis nostræ Iurisdictioni subiectis.

Salutem in Domino sempiternam.



Il habet Pastoralis solicitudo, quò magis vniuerso, efficacitèr consultum iret, quàm sæpius iterata synodorum institutio. Per eas quippè rebus maximis clerus eruditur, perplexitatès enodantur, quæ, vel in Sacramentorum vsu emergunt, vel ad mores componendos referuntur, quæ omnia expēdens Tridentina Synodus, à Spiritu Sancto edocta, synodorum frequentem ce-

lebrationem Episcopis demandauit: Verùm (quod non sine Animi graui mærore recensere cogimur) iam annus supra centesimum tertius agitur, quo ab Antistite Giliberto olim Prædecessore nostro in hac Cathedrali Ecclesia postrema synodus celebrata fuit. Quàm magna ex hac cessatione Animarum detrimenta, quamplura, eaq; perniciosa vitiorum incrementa pedetẽtim irrepserint, dùm in nostra Visitatione Diœcesim, Vrbemque lustrauimus, semel, & iterùm experimento comperientes, quod Pastorales nostri Officij ac vigilantiæ ratio postulat, vt à recta, & Christiana viuendi via aberrantes, à peccatorum caligine ad lucem filiorum Dei *reuocemus, præsentes nostræ synodi constitutiones promulgamus, statuimus, & confirmamus. Quibus profectò accommodare illa possumus, quæ de œcumenico* Concilio *Damasus, & Romani Pontifices dixerunt esse: scilicet Antidotum aduersus venena mortifera. Hic enim norma describitur, qua Sacramenta ritè ministrentur, quã statutis horis diuinæ laudes recitentur, qua nitidè, & explicitè templa, & Aræ seruentur: hic locum suum habet festorum dierum obseruatio, solemnium supplicationum pompa, sacrorum Ordinũ, Decimarum, Piorum Legatorum dispositio; & ea quæ ad vsuras, ad fornicationes, ad scrilegia, ad quamcuq: scelerum, vitiorumq: licentiam, qua vel sacri, vel profani viri sordescerent, cõpescendam. Nè autèm tot in istis compilandis Decretis, labores suscepti sanè non aspernandi, irriti, nulliusq; ponderis euadant, pro comperto*

Baron. Tom. 3.

Cle-

Clerici omnes, ac præsertim animarum curam gerentes, habeant, potissimùm ad eos spectare, vt omni conatu, enixisq; viribus, synodalibus hisce legibus obsequantur, & in eorum firmitate conspirantes verbo, & exemplo obseruantiam augeant, nostræq; Paternæ solicitudini concordi animo participes fiant. Cum enim ad Clerici mores, secularium Virorum, tamquam ad ideã mores componantur, si probi fuerint, toti sunt Christiano Populo salutares, si verò praui, ingentem prauitèr in eum prauitatem deuoluunt. Vt propterea Ecclesiæ administros ipse Saluator salem dixerit esse Terræ, lucemq; Mundi, vt non vno tantùm nomine de officio suo illos commonefaciat, quod si secùs faciant, salis infatuati conculcationem minitatur. Tolerandum tandem aliquatenus hoc esset, nisi etiam è prauo exemplo seculares vitiarentur, & Populus ad ea facienda effrænis properaret, quæ licère sibi Clerici putent. Vos omnes igitur in Christo monemus, rogamus, & obtestamur, vt ad Christianæ perfectionis apicem celeri gressu pergere, Populiq; deprauatos mores, si qui sunt, in pristinam innocentiã restaurare omninò curetis. Quod facili negotio vnusquisq; vestrum assequetur, si huius nostræ Synodi constitutiones Deo adiuuante seruare, eidemq; Deo vindici, eorum quæ hic præcipiuntur rationem habendam esse in animo iugitèr habebit.

Matt. 5.

Ses-

SESSIO I.

DE CVLTV DEO EXHIBENDO.

DECRETVM I.

DE FIDEI PROFESSIONE, & à quibus sit emittenda.

1 CVm Fides, sine qua (Apostolo teste) impossibile est placere Deo, initium, & fundamentũ sit totius structuræ ex Concilio Tridentino: Cuique benefacimus attendentes tamquam lucernæ lucenti, cum simus in hoc viæ caliginoso loco; huic innixi fundamento, hac præeunte face nostræ Synodi ædificium, iter nostrum stabilire decreuimus.

a ad Hab. 11

Sess. 6. cap. 8. Petri 2. c. 1.

Quoniàm autèm non solùm corde creditur ad Iustitiam, sed ore fit confessio ad salutem, formam Professionis fidei præire necessarium duximus.

Ad Rom. 10.

2 Eam autèm in primis, ab omnibus, qui huic Synodo intersunt, emittendam hortamur. Insuper Sacri Concilij Tridentini Decreta sectantes, ijs omnibus, qui beneficia curam animarum habentia adepti sunt, vel in posterùm obtinebunt, præcipimus, vt intrà duos menses à die adeptæ possessionis

Sess. 24. de ref. cap. 12.

ad

ad minus in manibus Episcopi, vel eius Vicarij Generalis, eo impedito, seù alterius personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ, cui ex nostra speciali commissione indultum fuerit, vt eam fidei professionem emittant, quæ à Sanctissimo Domino Pio Papa IV præscripta fuit sub pœnis in eiusdem Constitutione, & alijs arbitrio nostro infligendis. Præterea ex eodem Tridentino intrà prædictum terminum omnibus nostræ Cathedralis Canonicis, & Dignitatibus mandamus, vt nedùm coram nobis, aut nostro officiali ad id deputato, verùm etiã in Capitulo eamdem Fidei professionem emittant; alioquin omnes suprà enumerati, & prouisi, fructus non faciant suos, possessioque eis minimè suffragetur.

3 Eamdem profiteri decernimus omnes, qui in nostra Diœcesi Sacri Concionatoris munus sunt aggressuri, quod etiam cum Regularibus obseruari decernimus, cum ad id assumuntur; saltem coram suis Superioribus; & sciant, quòd nullatenus à nobis benedictionem, aut licentiam erunt impetraturi, nisi Testimoniales litteras suorum Superiorum afferant. Similiter eadem Fidei professio fieri debeat ab omnibus qui liberalem aliquam Artem etiam si sint prima rudimenta Grammaticæ doceant: omnesque tam publici, quàm priuati Sacræ Scripturæ, nec non Sacræ Theologiæ, tàm Scholasticæ, quam Moralis Lectores, sub *In eadem Const.*

pœna-

pœna; Ludimagistris vnceę vnius, altiorum verò facultatum vncearum duarum pijs Eleemosinis erogandarum.

FORMA PRÆFATÆ PROFESSIONIS Fidei.

5 EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet: Credo in vnum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem Cœli, & Terræ, Visibilium omniũ, & inuisibilium; & in vnum Dominum Iesum Christum filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia sœcula; Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero; Genitum non factum, Consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo factus est: Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundùm Scripturas; & ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris: Et iterùm venturus est cum Gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius Regni non erit finis: Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit: Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur,

qui

qui loquutus est per Prophetas, & vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum, & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & Constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item Sacrã Scripturam iuxtà eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum admitto; nec eam vnquam, nisi iuxtà vnanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè, & propriè Sacramenta nouæ Legis à Iesu Christo Domino nostro instituta, atquè ad salutem humani Generis, licèt non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illàque gratiam conferre. Ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de Iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declara-

ta fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor paritèr in Missa offerri Deo, verum, proprium, & propitiatorium sacrificium, pro viuis, & Defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realitèr, & substantialitèr Corpus, & Sanguinem vnà cum anima, & Diuinitate Domini nostri Iesu Christi, fieriq; conuersionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ Vini in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantùm specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constantèr teneo Purgatorium esse, Animasque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari. Similitèr, & Sanctos vnà cum Christo Regnantes venerandos, atque inuocandos esse, eosque Orationes Deo pro nobis offerre; atquè eorum Reliquias esse venerandas firmissimè assero. Imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atquè eis debitum honorem, ac Venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum, Christiano Populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco, Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum

lorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac iuro. Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & œcumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitantèr recipio, atque profiteor: simùl contraria omnia, atquè hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas ego paritèr damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extrà quam nemo saluus esse potest, quam in presenti spontè profiteor, & veracitèr teneo; eamdemque integram, & inuiolatam vsquè ad extremum vitæ spiritum, constantissimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atquè à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

DECRETVM II.

DE VERBI DEI PRÆDICATIONE.

Conc Trid. ses. 5. cap. 2. & sess. 24. Cap. 4.

5 CVm ad Pastoralem Episcoporum curam pertineat de Verbi Dei concionatoribus Populo prouidère; vt fructum centuplum in Terram bonam cadens, afferre possit, monemus, ac in Domino hortamur Prædicatores omnes, vt fucos resecantes, à vaniloquijs, & fabulis abstinentes, nè pruriant auribus, sed Verbum Dei in cordibus seminent; in suis sermonibus, salutaribus eruditionibus pascant; Patrum Exemplis, & Doctrinis vitia extirpare conentur, ea facilitate, vt captui non sit impar eloquium; fidei articulos, quæ scitu necessaria, mandata Dei, quæ obseruare debeant, Virtutes Christicolis necessarias exhibeant, ad perfectionemq; Christianam hortentur.

6 Insupèr, vt in Ecclesijs curæ nostræ subiectis nemo non præuio ad id examine coram nobis idoneus, vita, & moribus præditus, iudicatus, & sine nostra in scriptis licentia, vt ea qua par est decentia tantum munus, priùs vita, quam Doctrina alios excitaturus asumat; omnes facultates, licentias, & litteras patentes concionandi quibuscumq; personis, siuè Sœcularibus, si-

uè

uè Regularibus, ſiuè oretenùs, ſiuè in ſcriptis à Noſtro Vicario Generali, à Nobis, ac Prædeceſsoribus noſtris conceſsas, reuocamus, & irritas, ac caſſas etiam declaramus.

7 Precipientes noſtris Vicarijs, aut Archipresbiteris, vt neminem cuiuſuis Ordinis ad prædicationem admittant noſtra in ſcriptis licentia priùs non exhibita ſub pœna ſuſpenſionis ab eorum officijs, vel Beneficijs, vt in hac Diæceſana Synodo aliàs ordinatum fuerat.

8 Sciant Regulares, & omnes alij exẽpti, ex Conciliorum, & Pontificum Decretis, contradicente Epiſcopo non poſſe in Eccleſijs, etiam ſuorum Ordinum prædicare, quinimmò neque in Oratorijs ſermonem coram Populo habere, ſed qui in dictis Eccleſijs concionari voluerint, antequàm prædicare incipiant, de vita, moribus, & ſcientia à ſuis ſuperioribus examinati, & approbati, cum eorum licentia coram nobis ſe præſentare perſonalitèr teneri, noſtramque petere benedictionem. In Eccleſijs verò, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, vltrà ſuorum licentiam ſuperiorum, noſtram etiam licentiam, quam gratis concedimus, petere tenentur, & obtinère, aliàs illis contrauenientibus, Epiſcopus tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus, cenſuris, alijſque pœnis coercere, & punire, etiam extrà Viſitationem poterit.

Trid. ſeſs. 5. Cap. 2. & ſeſs. 24. Cap. 4. Greg. XV. in Conſtit. 18. inſcrutabili. Vrb. VIII. 30. Ian. 1629. Innocen. X. Conſt. cũ ſicut 1648. & Clemens X. in Conſtit. ſuperna magni anno 1670.

9 Con-

9 Concionatores igitur omnes siuè Sęculares, siuè Regulares, qui in Ecclesijs non suorum Ordinum sunt concionaturi; examini se subijciant, & nostri Examinatores studiosè ab eis inquirant de sensibus Sacræ Scripturæ, de dogmatibus in Tridentino statutis, & explicatis, vt potè de scriptura Canonica, de originali peccato, de Iustificatione, de Sacramentis, de sacrificio Missæ, de Purgatorio, veneratione Sanctorum, Indulgentijs, potestate *Papæ*, ac reliquis multis, & idoneos approbent, reprobent imperitos.

10 Volumus autèm, vt nostra generalis concessio ad prædicandum, ad sanctimonialium Monasteria minimè extendatur, sed ad id expressa requiratur, sub pœna carceris ad Nostri libitum.

11 Sœcularibus insupèr, qui prætextu Eleemosinas quærendi in publicis Plateis potiùs ineptias, & Apocrypha quædam eructant miracula, de Sanctis prædicare prohibemus, imagines tamen proferre, ac distribuere, eleemosinas petere, non sine tamèn Vicarij nostri licentia possint.

12 Mandamus etiàm, nè ipsi Sacræ Concioni impedimentum præstetur, vt eo tempore Missæ sacrificium in Ecclesia non peragatur, minimèque intrà fores Ecclesiæ, sed extrà à Pauperibus eleemosina petatur; quantumcumque fieri potest, discretio inter Viros, & Mulieres, siuè per tabula-

bulatum, aut saltem per telam interiorem obseruetur. Prohibentes, nè noctis tempore, à Solis nempè occasu vsque ad ortum Conciones habeantur, sub pœna vncearum duarum, Ecclesiarum Cappellanis, aut earum curam habentibus, excepta nocte Natiuitatis Domini, & feria V. in Cœna Domini, in qua die vsque ad mediam horam noctis permittimus.

13 Indulgentiæ nõ publicentur à Concionatoribus absque nostra licentia, & nisi ab Officio Santissimæ Cruciatæ sint recognitæ, Populumque ipsi commone faciant, eas non lucrari non habentes Bullam prædictæ Cruciatæ.

14 Prædicatoribus Euangelicis, Vniuersitates, & Populi, Parochi, aut alij, quorum interest de more alimenta debita suppetant, & solitas Eleemosinas elargiri non differant, benignè eos excipiant, hospitio commodo collocent, necessaria subministrent, dignus est enim operarius mercede sua, & Deus, qui largitor bonorũ omnium est, multiplicabit incrementa Iustitiæ vestræ.

(†)

DECRETVM III.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

15 QVoniam inexcusabilis est ignorantia Mysteriorum Fidei, præcipuè eorum, quæ necessitate medij ad salutem sunt necessaria, & ad Parochos ex Tridentino spectat suas oues lacte Doctrinæ nutrire, nè illa Ieremiæ quærimonia impleatur. Paruuli petierunt panem,& nō erat qui frangeret eis: districtè precipimus Archipresbyteris, Parochis, & singulis curam animarum habentibus, vt in diebus saltèm Dominicis, siuè per se, siuè per alios, rudimenta Fidei,cæteraque scitu necessaria, pueros, & alios rudes doceant, & vulgari lingua Fidei mysteria illis explicent; iuxtà formam à nostris Prædecessoribus in vetusta Synodo num. 41. 42.&43. assignatam, nam animarum saluti plurimum dignoscitur opportunum, vt vnusquisque Fidelium, quæ credenda sunt,percipiat, & quæ petenda agnoscat, quæ verò facienda, & seruanda amplectatur, & fugienda, atque timenda euitet. Credenda Symbolo Apostolorum docentur, petenda oratione Dominica condiscuntur, facienda Decem Legis Decalogi, & quinque Ecclesiæ preceptis indicantur. Etenim ex ipsa

sa Doctrina Christiana docemur peccata mortalia spernere, pœnas Inferni timere, & Gloriam Paradisi persanctè sperare.

16 Quarè Parentes monère curabunt, aut Dominos, vt filios, aut famulos hora statuta ad Ecclesiam mittant. Itèm curent, vt Rustici, qui rarò ad Oppida se se conferunt, Fidei rudimentis imbuantur; Deuotos Sacerdotes ad eos instruendos mittentes; superquo etiam conscientias Cappellanorum oneramus, qui ad Rurales Ecclesias pro Missa celebranda mittuntur, vt antè Missam de præcipuis Fidei Articulis instruant eos, qui ad Missam audiendam conueniunt, cogitantes, quòd Deus Iudex iustus animas fratrum suorum de manu eorum requiret; Et si in hoc Parochi, & reliqui enumerati segniores fuerint, conscientiam testium Synodalium oneramus, vt ad nos deferant, vt quos monitis minimè comperimus ad profectum adductos; mulctis,alijsſque arbitratu nostro infligendis pœnis ad meliorem frugem reducere valeamus.

17 Precipimus itidèm omnibus Archipresbyteris, & Parochis, vt quos adultos imperitos, & de Fidei Mysterijs, quantùm eis explicitè credere oportet, non instructos repererint, ad Matrimonia contrahenda non admittant; ac Confessarijs omnibus, nè huiusmodi imperitis, absolutionis beneficium impartiantur sub spe futuræ

instructionis, aùt quòd illa aliquando sciuerint, dùm tamen modò obliuioni dederint; quoniam non sufficit ea Mysteria semel credidisse.

Prop. damnatæ ab Innoc. XI. die 2. Martij 1679.

DECRETVM IV.

DE LIBRORVM VSV, SACRARVM Imaginum, & Reliquiarum Veneratione.

18 CVm ad Fidei nitòrem maximè Sacrorum Librorum rectus conducat vsus; & è prohibitorum lectione, veluti ex sordido riuulo eiusdem labefactetur candor; idcircò Sacri Concilij Tridentini Decretis inhærentes, precipimus, vt Sacram Scripturam, ea, qua par est reuerentia, tractent, omnemque abusum, eiusdem ad scurrilia, vana, aut superstitiosa, eliminare satagant, contrauentoribus pœnis à Sacris Canonibus inflictis, alijsque arbitrio nostro acerrimè puniendis.

Sess. 25. cap. 2.

19 Insùpèr mandamus, vt libros, maximè hæreticorum, qui hæreticæ prauitatis Inquisitorum Edicto, vèl Indice sunt vetiti, nemo legere, aut apud se retinère præsùmat. Volumus autèm, vt libellos quosdam, qui Historiæ vulgò nuncùpantur, vèl alios, nemo venales exponat, nostra, aut Vicarij nostri licentia priùs non obten-

obtenta. Et nè ex ipsius Indicis imperfecta notitia, vèl modi, quo in praxim reducitur, multi libros prohibitos, aut suspectos penès se ignorantèr retineant: præcipimus, vt à præsentis Synodi publicatione post mensem, Indicem Librorum omnium, quos apud se habent, Vicario nostro afferre teneantur, vt ijs opportunè prouideat, sub pœnis nobis benè visis.

20 Pro cultu verò Sacris Imaginibus, & Reliquijs debito exoluendo, innouamus, quæ in hac Diæcesana Synodo olim sancita fuère: & in primis Presbyteris omnibus, & alijs curam aliquarum Ecclesiarum habentibus, iniungimus, vt Sanctorum Reliquias in Ecclesia in loco decenti, & debita cum veneratione asseruandas curent; & cùm ostendendas acciderit (vt quæstus, vèl sola species absit) ab omni pecuniæ acceptione prorsùs abstineant; Imagines autèm, si quæ sunt, quæ deuotionem potiùs eneruant, quàm excitant, vèl quià procacem habent venustatem, aut quià vetustas ità deformes reddidit, vt irrisui subseruiant, aùt reformare curent, aut è publica Populi frequentia omninò tollant. Cùmque Imagines in Sanctorum Festiuitatibus per Ciuitatem conduci contigerit; nullo indumentorum genere opertas, sed pro vt sculptæ sunt, deferre mandamus, exceptis aliquibus capiti, vèl pectori ornamentis, & pallio, quod sup-

Conc. Trid. sess. 25.

poni consueuit. Sub ferendę excommunicationis pœna vetitum decernimus, nè vlla insolita Imago, quæ in Ecclesia depingi non solet; aut non cognita, & non probata Reliquia in Templo, aut loco publico veneranda proponatur: nequè miraculum nouum publicetur Campanæ sono, vèl publica aliqua solemnitate sine nostra expressa facultate. Quinimmò si aliquem huiusmodi rumorem ortum cognouerint; piè obsistentes, nos certiores reddant, quousque quid faciendum sit, declaremus.

(†)

D E-

DECRETVM V.

DE HÆRESI, SVPERSTITIONE, Maleficijs, Diuinationibusque tollendis, ac Infidelium Conuersatione vitanda.

21 QVamuis procùl ab hoc Siciliæ Regno, Dei opitulante Patrocinio, Catholicorumque Regum nostrorum prouidentia, Inquisitorumque Zelo exulet hæresis morbus, vt tamèn longiùs absit, mandamus nostræ Diæcesis vtriusque sexus, & cuiusuis conditionis Christi fidelibus; vt quemuis de hæresi suspectum verbis, aut factis compererint, vt si verba irrisoria alicui nostræ Fidei Mysterio, Carnes diebus vetitis non sine Precepti contemptu, Ecclesiastica fulmina, præcipuè excommunicationis contempserit, & in ea per annum insorduerit, quique Scripturæ Textum contrà Ecclesiæ sensum contorquent, & alia, quæ in hæresis suspicionem inducunt, nobis, aut hæreticæ prauitatis Inquisitoribus denuncient intrà spatium dierum nouem à præsentium publicatione, quos assignamus pro trina Canonica monitione; quo elapso, si nostrę huic Synodali Constitutioni minimè paruerint, in excommunicationem

nem incidiſſe animaduertant, quam ex nunc pro tunc indicimus, & omnibus intimamus.

22 Sub eàdem pœna, vt ſuprà denunciandos mandamus omnes, & quoſcumque maleficia, incantationes, Empſalmos, Sortilegia, Nigromantiam, Pyromantiam, Aſtrologiam Iudiciariam, vèl quaſcumque magicas artes, aut Diuinationum genera, vèl ſuperſtitioſa exercentes remedia, cum expreſſa, vèl tacita Dęmonis inuocatione. Itemque omnes, qui plures vxores, vèl eas, quæ plures maritos eodem tempore, ſcientèr, doloſè, & fraudulentèr duxerint: vt aliàs in noſtris Edictis quolibet anno legi conſuetis preceptum erat.

23 Inſupèr cùm ſola morbidæ pecoris conuerſatio vniuerſum corrumpere valeat Ouile: & ex Apoſtolo à Fidelibus ſit omninò vitanda: precipimus vt cum infidelibus quibuſcumque, qui habitare hic permittuntur, cohabitare, ad eorum conuiuia, & compotationes accedere; eos ad morbos curandos accerſere, & aliam quamlibet familiaritatem declinare ſatagant: præcipuè à carnali cum ijs commercio abſtineant; ſciantque tàm deteſtabile ſcelus, excommunicationis pœna; alijſque à nobis acritèr eſſe puniendum.

Cap. Nullus. cap. omnes 28. q. 1. cap ſi quis 28. q. 1.

D E-

DECRETVM VI.

DE BLASPHEMIA.

24 PErmaximè deteſtabilis blaſphemiæ iniquitas, quam mortis pœna vlciſcendam veteris Teſtamenti Paginæ decreuerant: Imperialeſque Leges vitæ priuatione puniri ſanxerunt; prætèr rei vindictam, quam ſæpè in hoc ſæculo horribilem de eiuſmodi ſcelere ſumere conſueuit Deus, ſeuera à nobis punitione mulctādā denunciamus. Caueant igitur omnes ab Hæreticalibus contrà Deum, Beatam Virginem, ac Sanctos blaſphemijs; meminerintque aduerſus eos tamquàm de hæreſi ſuſpectos Sanctæ Inquiſitionis Tribunal toto rigore inquirere poſſe: ſi autèm hæreſim non ſapiunt, vèl ex calore iracundiæ, aut praua conſuetudine prolatæ fuerint, ſi huiuſmodi peruerſitas è Clericorum ore ſcatere comperietur, ſuſpenſionis pœna, Beneficiorumque amiſſione in totum, vèl in partem, pro vt criminis indignitas exegerit, punietur, pro vt Sacri Canonis diſpoſitio ſtatuit: ſi verò è Sœcularium proceſſerit labijs, ſi publicum fuerit delictum, publicam iuxtà Conſtitutionem B. Pij V. pœnitentiam inueniet, in pecunijs, & alijs corporalibus, vſque ad remigatio-

nem,

nem, pœnis, & Officiorum priuationes, vt in hac antiqua Synodo comminatum fuerat.

25 Vt autèm tàm immane ſcelus, è noſtra Diæceſi (quod cupimus è toto Orbe) profligari penitùs poſſit, omnibus, & ſingulis ſub excommunicationis ferendę ſententiæ pœna, precipimus, vt auditis huiuſmodi blaſphemijs intrà ſpatium dierum nouem, quos pro trina aſſignamus ex nunc monitione, nobis, vèl Vicario noſtro Generali in hac Vrbe; extrà verò Vicarijs noſtris Foraneis, deferant, ſciantque Contrauentores, Fratrum ſuorum animas, quas indicando corrigere poterant, tacendo verò perire permittunt, de eorum manibus Deum Iuſtum Iudicem requiſiturum in tremendo Iudicio, eiſque plùs ficto obeſſe pietatis ſimulacro, quàm Iuſtitiæ Zelo, & Chriſtiana charitate: crudelitèr enim ſiletur, & miſericorditèr indicatur vulnus, quod occultatum putreſcit, patefactum ſanari poteſt.

(†)

DECRETVM VII.

DE DECIMIS, ET PRIMITIIS.

26 CVm Ius Decimarum, & Primitiarum, quæ Ecclesiarum personis debentur, à Iure Diuino pendeat, & Sacris etiam statutis magnoperè sit comprobatum, non potest Sancta Synodus illorum versutiam non maximè non reprehendere; qui in Decimis, & Primitijs soluendis omnes rationes excogitant, quibus aliquid ex eis per fraudem subtrahere, easque imminuere possint. Vndè in memoriam reuocamus id, quod fuit à nostris Prædecessoribus, præsertim in Synodo Illustrissimi Episcopi Pactensis Domini Bartholomæi Sebastiani his sequentibus verbis, significatum: Memores sint Christi Fideles verbi Domini per Malachiam Prophetam dicentis: si affliget homo Deum, quià vos configitis me? & dixistis, in quo configimus te? in decimis, & in primitijs, & in penuria vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota. Inferte omnem decimam in horreum meum, vt sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem vsquè ad abundantiam, & increpabo pro vobis deuorantem, & nõ

Cap. reuertimini 16. q. 1. Exod. 22. & 23. Leuit. 27. num. 18. Tob. 1. cap. de Decimis.

Malach. cap. 3

corrumpet fructum Terræ vestræ, nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus Exercituum.

Sess. 25. Cap. 12.

27 Insupèr Tridentinum dissertis verbis etiam asserit. Non sunt ferendi, qui varijs artibus Decimas, Ecclesijs obuenientes, subtrahere moliuntur; aut qui ab alijs soluendas temerè occupant, & in rem suam vertunt: cum decimarum solutio debita sit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadunt.

28 Precipit igitùr Sancta Synodus omnibus, cuiuscumque gradus, & conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, vt eas, ad quas de Iure tenentur, in posterum Cathedrali, aut quibuscumque alijs Ecclesijs, vèl personis, quibus legitimè debentur, integrè persoluant. Qui verò eas, aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur; nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione sequuta, absoluantur.

29 Hortatur de hinc omnes, & singulos, pro Christiana charitate, debitoque erga Pastores suos munere, vt de bonis sibi à Deo collatis, Episcopis, & Parochis, qui tenuioribus præsunt Ecclesijs, largè subuenire ad Dei laudem, atque ad Pastorum suorum, qui pro eis inuigilant Dignitatem tuendam, non grauentur.

30 Quarè districtè precipimus, & mãdamus omnibus Subditis nostris sub pœnis,

nis, & censuris in Sacris Canonibus contentis, si pœnas damnationis euitare voluerint, vt decimas ipsas omnium Terræ nascentium integrè, omnique fraude exclusa, vèl saltèm secundùm Patriæ præscriptam legitimè, & approbatam consuetudinem singulis annis, illis quibus de Iure, vèl consuetudine debentur, soluant; vtque decimantibus nequaquam peiora tribuant, nequè seminis portionem, quæ Terræ mandata fuit, aut ea, quæ ex cumulis relinquuntur, vèl ipsa etiam purgamenta à Iure decimarum exempta faciant, & similitèr integrè, & absquè fraude, quolibet non obstante prætextu nihil deducto, nec etiàm semine, nequè expensis, decimam, quæ Deo debetur; soluant, renitentes verò iuxtà formam Sacrorum Canonum soluere compellantur.

31 Idcircò omnibus Parochis nostræ Diæcesis precipimus, vt primo, & tertio die Dominico Quadragesimæ Populum moneant de Primitijs, & Decimis integrè persoluendis, notificando eis, quæ mandat Sacra Tridentina Synodus, scilicèt, quòd qui varijs artibus retinent, aut non soluunt decimas, vèl alios ad soluendum impediunt, aùt retrahunt, peccato furti peccant, & sunt iniusti vsurpatores rei alienæ, debent, suspensâ Sacramentali absolutione compelli, nec ab hoc crimine absolui, nequè in Paschate ad Sacram Communio-

nem admitti, nisi priùs plena restitutione facta ijs, ad quos de Iure, vèl consuetudine primitiæ, aut decimæ prædictæ spectant.
32 Monemus etiam omnes, & singulos Prædicatores eisdemque in virtute sanctæ Obedientiæ precipimus, & mandamus, quatenus in prædicationibus suis, pro vt de Iure tenentur, Populum studiosiùs, & sæpissimè moneant; & inducant ad ipsas Decimas persoluendum, proclamando, quòd soluere recusantes, bonis temporalibus, & æternis priuantur, iuxtà illud Augustini dicentis: maiores nostri ideò copijs omnibus abundabant, quià Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant; modò autèm quià discessit deuotio, accessit indictio fisci, nolumus partiri cum Deo decimas, modò tollitur totum, hoc tollit Fiscus, quod non accipit Christus. Explicando etiam, quod soluentes decimas bono gaudent quadruplici, abundantia scilicèt fructuum, sanitate corporis, remissione peccatorum, & præmio, dicebat enim Augustinus, qui sibi, aut præmium comparare, aut peccatorum desiderat Indulgentiam, etiam de nouem partibus sibi remanentibus, studeat Eleemosynam dare pauperibus; eamdem etiam monitionem fieri mandamus per Confessores, quibus vltrà precipimus sub pœna suspensionis à Diuinis, vt cùm viderint suos pœnitentes, semèl, aut bis ipsas decimas, aut primitias,
non

non integrè soluisse, eos tamquàm rerum alienarum detentores, & inuasores non absoluant, nisi Decimis, & Primitijs priùs solutis sine diminutione, vèl de soluendo, intrà terminum determinatum sufficienti præstita cautione.

33 Commendamus etiàm quantùm in Deo possumus incolis, & habitatoribus nostræ Diæcesis, vt soluant Archipresbytero, & Cappellanis Ecclesijs ipsius Terræ deseruientibus, vt Populo Sacramenta ministrantibus, illam Eleemosinam loco primitiæ, pro vt solitum, & consuetum est, exceptis pauperibus, viduis, & mendicantibus, à quibus nihil exigi etiam consueuit, & si soluere renuerint, quod absit, notum sit, quòd nobis incumbit iuxtà Decreta Sacrosancti Concilij Tridentini prouidère, vt in Parochialibus Ecclesijs, quarum fructus adeò exigui sunt, vt debitis nequeant oneribus satisfacere, Primitias assignare, aut per Parochianorum symbola, ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione, quod pro Rectoris, ac Parochiæ necessitate decentèr sufficiat, compellendo etiam Populum ea subministrare, quæ sufficiant ad vitam dictorum Sacerdotum sustentandam. Seß. 24. c. 13. Conc. Trid. Seß. 21. Cap. 4.


(†)

SESSIO II.

DE SACRAMENTIS.

DECRETVM I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.



1 INuiſibilis gratiæ viſibilia ſigna,& inſtrumenta ſeptem à Chriſto Domino inſtituta ſunt Sacramenta, quæ ex ipſius latere prodeuntia, à ſordibus munditiam parant, in accepta conſeruant ſanctitate, gratiæque incrementum præſtant; vt igitur tàm ſancta ſanctè tractentur: *Sacerdotes omnes Sacramenta miniſtraturos monemus, vt ea, qua par eſt conſcientiæ munditia in ijs miniſtrandis, aut conficiendis ſe gerant, vt ſi mortali noxa pollutos ſe agnoſcant, contritione ad minùs ad gratiam obtinendam ſe præparent, nè cum alijs ſanctitatis poculum tribuunt ipſimet lethalis peccati venenum ebibant.*

2 *Inſuper mandamus, vt decenti amic-*

tu,

tù, proùt in Rituali disponitur ad ea ministranda accedant. Precipimus quoque, vt Parochi, quantùm fieri potest per se ipsos Sacramenta ministrent; vt ne vllo vnquam tempore àb Ecclesia aliqui absint, qui Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta petentibus ministrare possint, & àd Sacramenta Infirmis necessaria prompti tàm diei, quàm noctis qualibet hora, vt nemo sine tàm salutaribus remedijs decedat; & vt negligentes punire valeamus, omnibus, & singulis precipimus, vt ad nos deferant, quos nouerint suo muneri tàm desides, vt ipsorum incuria Infantes sine Baptismo, vel Adulti sine pœnitentia, Viatico, aut Extrema Vnctione è viuis abierint, aut àd aliquid erogandum coëgerint, aut in pactum deduxerint pro his conferendis, vt Simoniæ detestabile scelus redolere possit; excepto eo, quod (ne claudatur os boui trituranti) pro substentatione Ministrorum gratis, & eleemosinalitèr offerri consueuit.

3 Omnibus tàm Parochis, quàm alijs, qui ministrandi Sacramenta curam habent, iniungimus, vt eorum materias, formas, Ceremonias, & ritum ea ministrandi probè calleant; nihilque necessarium detrahant, nil superfluum, aut superstitiosum addant; & vt horum scientiam plenam habeant, hortamur, vt assiduè Canones Iuris Canonici, Concilium Tridentinum,

num, Cathechismum Romanum iussu Pij V. editum, aliosque probatos auctores perlegant; supinam aliàs ignorantiam à culpa non vacare scientes; & apud nos inscitiam ad pœnas minuendas pro defectibus in ijs commissis minimè valituram.

DECRETVM II.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

4 Baptismi Sacramentum, quod est ianua omnium Sacramentorum, quo qui eramus aliquando filij Iræ, filij gehennæ in adoptionem filiorum Dei recipimur; iuxtà regulas à Rituali præscriptas, præterquam in casu necessitatis conferendum iubemus. Materia huius Sacramenti remota est aqua naturalis, idest quæ sit verè aqua elementaris, siuè sit ex fontibus, ex fluminibus, ex puteis, ex pluuia, ex mari, &c. ita vt communi vsu aqua dicatur, siuè sit calida, siuè frigida, siuè turbida, excludendo tamen quemlibet alium liquorem, vt est aqua rosacea, aut quid aliud consimile, licet appareat immò vocetur aqua. Materia proxima est ablutio ex aqua, quæ debet esse sensibilis, & ita tangere Baptizati corpus, vt verificetur abluere, etiam si parua sit ablutio, quæ ex vsu nostræ Ecclesiæ latinæ fit per effusionem aquæ in

Ad Ephes. 5.

caput

caput eiusdem, nisi necessitas alium modum exigeret, nam tunc sufficit quamlibet corporis partem abluere; Forma verò consistit in illis verbis (ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen. cui formæ nihil addendum precipimus. Intentio ministri saltem virtualis eò tendat, quod instituit Redemptor noster, & amplexa est vniuersalis Mater Ecclesia; Sacra insuper Vnctio, & aliæ Ceremoniæ in Rituali præscriptæ adhibeantur.

5 Ordinamus insuper, vt nemo ad solemniter Baptismi Sacramentum peragendum admittatur cuiuscumque sit Dignitatis sine nostra, aut Vicarij nostri expressa licentia, præter Parochum, aut Cappellanos Parochiales assignatos, cui, vel quibus ex officio, aut eius commissione competit illud administrare, & non nisi in Ecclesijs Parochialibus, intrà cuius fines Parentes commorantur. Nullatenus in priuatis, etiã Magnatum domibus, in casu verò necessitatis licèt à quouis conferri possit; Clerici Sœcularibus; Viri Mulieribus, & Maiores minoribus præferantur; nisi aliter decentia exposcat.

6 Si autem contigerit, vt necessitas àd abluendum Infantem in domo cogat, cum sit irreiterabile Sacramentum, si vitam eius prorogari accidat, ad Ecclesiam deferatur, vbi tantùm Cathechismus, Exorcismus, & reliqua supplenda mandamus, ne-

Cap. de Sacr. non iterando. Cap. 2 de Bapt. & eius effectibus. Cap. Ostenditur, de Consecrat. distinct. 4.

quaquam verò iterato baptizari, quando diligenti peracta à Parocho diligentia, constiterit legitimam adhibitam fuisse Materiam, & Formam; si verò dubium sit, an ritè cœleste attigerit lauacrum, iterum sub conditione baptizari debet, sub hac forma (si non es baptizatus, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen. Idemque obseruari precipimus cum Paruulis expositis dum nil, fuisse baptizatos, certi constat, & cum eis, qui non dùm plenè ex vterò Matris egressi, in pede, vel alia simili corporis parte, dum non sit caput, fuerint abluti; si verò Mater in partu decesserit, fœtu existente viuo, curent, vt quamprimùm ad abluendum Infantem aperiatur, vt in hac Diæcesana Synodo fuerat mandatum.

7 Hortamur item, vt vltrà secundam, aut ad altiùs tertiam diem tàm necessariũ Sacramentum non differatur, caueantque Parochi, ne Ethnicorum, & Infidelium nomina, sed Sanctorum Infantibus sacro rore aspergendis imponant: nec susceptores binarium excedentes, quorum vnus sit Vir, & alter Fœmina; neutiquam tamen Infantis Parentes, aut Monachos, vel quosuis Religiosos, impuberes, aut excommunicatos, aut publicos peccatores, vel qui Confirmationis Sacramento non sunt muniti, vel vsum Sacramentorum in Paschate neglexerunt, aut fidei rudimenta non callent ad-

Cap. Non licet & cap. Monachi de consecr. dist. 4.

mit-

mittere præsumant, vt ex Tridentino, Sacrisque Canonibus edocemur. Patrinos insuper moneant de cognatione spirituali contracta inter leuantem, & leuatum, eiusque parentes, ex hocque impedimentum dirimens matrimonium germinare, nec non onus erudiendi fidei rudimentis, ac bonis moribus infantes contraxisse. Sess. 24. cap. 2. de reform.

8 In vnaquaque Ecclesia Parochiali ex Cathechismi Romani institutione idoneum sit baptisterium, eiusque sacer apparatus, ac vt peruetusto vsu à sacris Concilijs commendato fons ex marmore, vel alio integro, & solido lapide comparetur, ne lustrales aquæ effluant, vel paulatim ebibantur. Hic autem fons supra suum pedem erectus, & operculo coopertus in medio amplioris fontis item lapidei, vel si hoc haberi nequit, vas illud lapideum, vel saltem sacrarium propè fontem statuatur, vt in hoc, non in illud, à quo acceptæ sunt, vel in prophanum peluim aquæ ex Infantis capite recurrentes refluant; Intus coclear argenteum, vel stamneum, aut æneum asseruetur, quo non manibus lustrales effundantur aquæ, lintea quoque munda ad Infantium capita tergenda, quæ in sacrum vsum conuertantur, vel comburantur; non cuique Sœculari, vt superstitionum vitetur occasio, sicut nec sal, aut aqua, qua manus lauat Sacerdos, permittatur. Propè fontem sit paruus locus clausus, in quo Sacra olea

ad baptizati verticem vngendam seruentur, cuius claues sicut itidem fontis, penès Parochum custodiantur; Aqua Sacra Sabbato Sancto, aut Sabbato antè festum Pentecostes consacretur, vel si antè annum putrescere, vel deficere comperietur, renouandam curent, vetere in sacrarium effusa, id verò tantùm in Cathedrali, & per Diœcesim in Plebana; quæ indè statim ac sacrata fuerit à Clericis Paretiarum in Parochias asportetur.

9 In Adultis ad baptismum admittendis, cum maior adhibenda sit diligentia, nisi periculum imminens vitæ alitèr suadeat, volumus, vt nobis inscijs nullus eorum ad aquam lustralem admittatur, vt de mandato nostro faciat Parochus quid circà eos expediens iudicabimus, eorum voluntate, & instructione priùs examini subiecta.

10 Habeât item Parochi librum, in quo fideliter describant baptizatorum nomina, eiusque parentes, Sacerdotem baptizantem, & susceptores; Annum, mensem, & diem, vt ex Tridentino monemur, & iam fieri consueuit.

11 Sciantque Parochi omnes, vel alij curam animarum habentes si in aliquo ex præsentis Decreti statutis trangressores inueniantur, pœnas pro criminis qualitate, vel carceris, vel suspensionis, vel alterius arbitrio nostro infligendas, fore vt sustineant: quare omnem in eorum executione animaduersionem adhibeant. DE-

DECRETVM III

DE CONFIRMATIONE.

12 CONfirmationis Sacramentũ, quod regeneratis per baptiſmum, ex Chriſti inſtitutione, in gratia confirmationem, & augmentum, ad Chriſtianam militiam virtutem, ac robur præbet; vt ad inuiſibilium hoſtium expellendas phalanges audaciores eſſemus; omnes, & non niſi ſemel ſuſcipere oportet; vt oleo, & balſamo, quæ eſt huius Sacramenti materia ab Epiſcopo conſecrato, fortis euadat Chriſtianus Athleta, & virtutum odore per vniuerſum Orbem Epiſcopali manu, qui eſt huius Sacramenti Miniſter inunctus, forma in Pontificali Romano præſcripta, roboratus, triumphet. Ea propter Parochos, & Concionatores monemus, vt omnes ad tàm ſalubre accedere Sacramentum hortentur, eius virtutem, & efficaciam explicantes, præcipuè diebus aliquot, antequam ad eius celebrationem accedamus. Hortamur itaque omnes, qui vſum rationis attigerint, vt ad Sacrum Chriſma accedere minimè differant, & vt ea puritate recipiant, quæ Sacramentis obicem non ponat; quare confeſſione præmiſſa, cum ſit Sacramentum viuorum, & rudimenta fidei ſcien-

ſcientibus, & rationis vſu præditis conferemus.

13 Patrinus vnus dumtaxàt adhibeatur, qui ſit confirmatus, cœteriſque impedimentis, quæ pro baptizandorum ſuſceptoribus notauimus non ſit irretitus, & Mas pro Mare, & Fœmina pro Fœmina, qui de cognatione, & impedimento ad matrimonium contrahendum orto, per Parochos moneantur.

14 Seorſim accedere debent priùs Viri, quàm Mulieres, & Parochorum erit curæ, vt Clerici adſint, quorum alter Confirmati frontem bombace tergat, alter aqua lauet, & alter Confirmatorum nomina, eorumque parentes, & ſuſceptores in libro deſignato deſcribat, aqua autem, & cineres bombacis combuſti in ſacrarium effundantur. Monemus item omnes, qui Gentilium nomen, aut ridiculum habent, vt illud immutare in aliud alicuius ſancti curent, & vt genibus flexis, manibus iunctis, ab omni abſtinentes vociferatione, piè, ac religioſè orantes ad eius ſuſceptionem accedant, omnibuſque denunciamus, qui negligentia ducti ab huius ſe abſtinent Sacramenti ſuſceptione in pœnas Canonicas incidere.

Cathechiſ. Rom de Confir.

(†)

DE

DECRETVM IV.

DE AVGVSTISSIMO EVCHARISTIÆ Sacramento.

15 SAcratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, in quo Redemptor noſter verus Deus, & Homo realiter præſens exiſtit, vt diſceſſurus ex mundo ad Patrem, quos tanta charitate dilexerat non relinqueret, ſed nobiſcum vſque ad conſummationem ſœculi permaneret, in paſſionis Chriſti monumentum, gratiæ cibantis ſignum, & futuræ gloriæ pignus inſtitutum, ac nouæ legis antiquæ ſacrificia præcellens mirabile holocauſtum, permaxima cordis deuotione venerandum, & maxima adorandum reuerentia; Ea propter à Conc. Nicæni ſœculo mos extitit, vt in aliqua Eccleſia aſſeruaretur, vt iſte diuinus ignis ſemper in altari Sacroſancto arderet.

16 Hæc igitur mandari, vt ritè debitus ei cultus exhibeatur viſum eſt; atque in primis, vt in Eccleſijs tantùm Parochialibus, vel Collegiatis, aut templis Regularium, vel Monialium, vel in alijs per Nos deſignandis, ſeruatis ſeruandis ſtabilitèr reponatur, ſub pœna interdicti Eccleſiæ,& ſuſpenſionis eius Rectoris, alijſque arbitrio no-

nostro, si in alijs Ecclesijs asseruetur. In altari ad eius custodiam deputato, ante quod perpetuò lampas colluceat, sit ligneum, aut marmoreum, aut nobilioris materiæ affabrè elaboratum tabernaculum, ità firmum, vt faciliter nequeat dimoueri, sacro deforis tectum conopæo, cuius verticem Crucis, vel Christi resurgentis coronet imago. In huius tabernaculi medio, eiusdem, seù nobilioris materiæ sit ædicula albo serico, seù aureo velo intus operta, in quo Sacrum Depositum ita occludatur, vt ad eius depromptionem opus non sit super Altare ascendere, nec in ea olea sacra, aut aliæ Sanctorum Reliquiæ, aut aliud quodcumque contineatur. Duo vasa argentea intus auro lita quælibet ad minus habeat Sacramentalis Ecclesia, alterum, in quo particulæ ad Populum Sacra communione reficiendum conseruentur, alterum in quo aliæ ad Infirmos deferendæ; Nec non sacra hostia, vt si necessitas vrgeat in promptu sit, vt Populo opem imploraturo adoranda exponatur, & quolibet octauo die consecratæ particulæ renouentur; Sed lunula sphæræ volumus quòd sit ex argento intus deaurato.

17 Quòd omnis vtriusque sexus Christi fidelis postquam ad annos discretionis peruenerit semel saltem in anno confiteatur, suscipiens reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi fortè

proprij

proprij Sacerdotis consilium, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum, alioquin, & viuens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & Ecclesiastica careat sepultura, vt decernit Canon Innoc. III. Vnde, pro recta obseruantia dicti præcepti ordinamus omnibus Parochis, vt si quos inuenerint temerè non obedientes, post trinam, vel vnam pro trina monitione, præter prædictas poenas, eorum nomina, & cognomina publicè suæ Ecclesiæ affigant, & si propterea nec resipuerint, sciant excommunicatione, alijsque plectendos esse poenis. Vt autem faciliùs dignosci possit, quinam à sacro epulo abstinuit, curent Parochi ante Dominicam Palmarum singulas suæ ditionis domos lustrare, & quotquot in qualibet ad sacram sinaxim ex præcepto tenentur, describant. Et singulis sacra communione refectis tradant schedulas, vt post Dominicam in Albis ijsdem recollectis constet inobedientium incuria ex collatione ad præcedentem descriptionem. Qui verò tempore Paschali absfuerint, nisi fidem susceptæ Eucharistiæ offerant ad illam sumendam cogantur sub ijsdem superiùs expressis poenis. Sacerdos Sacram Eucharistiam extra Missam porrecturus, superpelliceo, & stola sit indutus, ardentibus in altari saltem duobus cereis. Caueant autem nè publicos Vsurarios, Con-

 cubi-

cubinarios, Meretrices, aut alio habituali ſcandaloſè detentos vitio (niſi publica prius conſtiterit emendatio) ad tàm Sanctum admittere conuiuium ſine veſte nuptiali.

18 In hac Sacra Synaxi infirmis miniſtranda, (non abſque medici licentia corporalis vbi fieri poteſt) paratus ſit ipſe Parochus, vel ſi impeditus fuerit, non alteri niſi à nobis ad confeſſiones audiendas expoſito id committat, ſub pœna pecuniaria noſtro arbitrio infligenda; Deferatur autem cum maxima deuotione, dato primùm Campanæ ſigno pro congregandis Chriſti Fidelibus; Sacerdos ſuperpelliceo, ſtola, ac paruo pluuiali indutus incedat, pixidem aliquo opertam velo ſub baldachino, & luminaribus competentibus. Præcedere item debet Clericus in ſuperpelliceo Crucem deferens, & alter qui campanulàm, & laternam accenſam, & omnes alternatim recitabunt pſalmos, hymnos, aliaſque orationes. Ad infirmum cum peruenerint, illum priùs Sacerdos confortans, & ad amoris Dei actum exhortans Euchariſtiam porrigat, præmiſſis, & ſubſequentibus, quæ ex Rituali Romano præmitti, & ſubſequi debent.

19 His peractis ad Eccleſiam eodem ordine reuertantur, vbi Pixide ſuper altari repoſita, præmiſſa oratione de Sacramento, benedictionem pôſtquam impertitus ſit

cum

cum pixide, in tabernaculo occludat; & nullus sacram hostiam publicè Populo adorandam exponat in Altari sine licentia nostri Vicarij Generalis sub poena interdicti, & alijs nobis reseruatis.

20 Quando celebratur in Oratorijs ædium priuatarum ex Priuilegio Apostolico, non ministretur Sacra Communio, nisi de nostra expressa licentia.

21 Hoc cœleste viaticum non nisi ieiunis, nisi aliter necessitas suadeat, & nisi graui vrgente necessitate noctis tempore non deferatur. Si ægrotus post viatici sumptionem in infirmitate diutiùs perseueret, & cœlestis epuli desiderio flagret, post septem dies, non tamen per modum Viatici, nisi prudentum, & periti medici testimonio alia à prima laboraret ægritudine, concedatur.

DECRETVM V.

DE

SACRAMENTO POENITENTIÆ.

22 SAcramentum Pœnitentiæ à Christo Domino post resurrectionem institutum ad delenda peccata post baptismum commissa, rectè secunda tabula post naufragium à Sanctis Patribus est dictum,

cum sit necessitate medij in re, vel in voto necessarium ad gratiam reparandam, & Deo reconciliandum hominem per peccata ab eo elongatum.

23 Eius materia remota sunt peccata, actualia post baptismum commissa, & quidem mortalia, materia omninò necessaria; Venialia verò, quamuis sint materia sufficiens, non tamen necessariò clauibus subijciènda, cum multis modis ex Tridentino extrà Sacramentum remitti possint; Mortalia autem extrà casum necessitatis in generali non sufficit confiteri, sed eorum quoquè numerum oportet explicare, vel saltem ex actuum frequentia, & consuetudine, & tempore à præcedenti confessione elapso, numerus eorum plus, minusuè dignosci possit. Materia item proxima sunt actus pœnitentis, qui ad huius Sacramenti integritatem, & ad plenam, perfectamque peccatorum remissionem ex Diuina dispositione requiruntur, nempè contritio de peccatis, eorumdem confessio, & satisfactio, quibus accedente tanquàm forma absolutione à Sacerdote iurisdictionem habente præstita, perficitur Sacramentum.

Sess. 14. Cap. 5.

24 Forma absolutionis consistit in his verbis, (Ego te absoluo) vel quòd idem est, te absoluo, reliqua verò, quæ ex decenti more Ecclesiæ laudabiliter ante, & post verba absolutionis adduntur, Confessores,

S.Th.3 p.q.84. ar. 3.

vt reddantur conformes absque rationabili causa non prætermittant: & in reconciliationibus ordinarijs incipiant ab illo loco, *Si teneris aliquo vinculo*, &c. & aduertant in absolutione à peccatis nullam adducere conditionem, maximè de futuro, putà, si restitueris, vel aliud feceris, Ego te absoluo.

25 Curet igitur Sacerdos in primis pœnitentem ad verum de peccatis dolorem supernaturali ex motiuo ductum habendum (cum attritio naturalis non sufficiat) ac spem veniæ obtinendæ; & propositum non peccandi de cætero firmum eliciendum; quoniam si emendationis spes nulla appareat, etiam si ore dicat pœnitens se dolere, absolutionis beneficio est priuandus; & quia qui in occasione proxima peccandi versatur, vel restituendi onere detinetur, adhuc non videtur sufficientem habere dolorem, aut propositum, nisi priùs occasionem tollat, & cum effectu restituat, si impotentia non excuset; promissionem de futuro Confessarius non admittat, sed ad impletionem antecedenter ad absolutionem cogat, vt aliàs in hac Diæcesana Synodo fuerat iniunctum, & ex Innocentij XI. Decreto, cui omninò parendum est, innotescit; versantibus verò in aliquo habituali vitio, & consuetudine peccandi adhuc differri debet absolutio, vt eiusdem possit dignosci eradicatio, & spes elongationis

Decr. Innoc. XI. propos. 56.

Ibid. prop. 60.

Propos. 61.

tionis ab eis elucescat; priùs monendi, in pijs exercitijs desinendi, vt contrarijs virtutum actibus assuescant, memores illiùs præclaræ Ambrosij sententiæ in lib. de pœnit. contrà hos parum dispositos, pœnitentes: nonnulli ideò poscunt, vt statim sibi reddi communionem velint, hi non tàm se soluere cupiunt, quàm Sacerdotem ligare, suam enim conscientiam non exuunt, Sacerdotis induunt.

Lib. 2 cap. 9.

26 Item breui sermone horrorem peccati, eius turpitudinem patefaciat, vt magis ad eius extirpationem commoueat; pœnitentes verecundos, aut timidos blandè hortetur ad peccatorum patefactionem, quare se benignum exhibeat, & aduertat ex vnius peccati reticentia nullam reddi confessionem, nec vulnus à medico ignoratum posse sanari.

27 Canon Innocentij III. in Concilio Lateranensi, omnis vtriusque sexus Fidelis postquam ad annos discretionis peruenerit semel saltem in anno confiteatur, &c. obligat sub mortali omnes fideles, etiam pueros, sufficientem vsum rationis post septennium habentes.

Cap. vtriusque sexus de pœnit. & remiss.

28 Nullus Presbyter, siuè Sœcularis, siuè Regularis, nisi præuio examine approbatus facultatem in scriptis obtinuerit (aliàs excommunicationem ipso facto incurrere sciat, alijsque pœnis à nobis puniendus) ad Sacramentum pœnitentiæ mini-

nistrandum se exponere audeat; quamuis enim Presbyteri in sui ordinis susceptione à peccatis absoluendi potestatem accipiat; Decreto tamen Sacri Concilij Trid. sancitum est, nullum etiam Regularem posse confessionem Sœcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, aut aliàs idoneus iudicetur. *Sess. 23. c. 15.*

29 Precipimus etiam vt Innocentij XI. Decreto nouiter edito conformemur, nè simplex Sacerdos venialium confessionem audire possit pœnis arbitrio nostro mulctandus, nec Monialium, aut aliarum ibi degentium sub quouis prætextu confessiones quisque etiam approbatus simpliciter audiat, nisi id specialiter, & expresse à nobis concessum fuerit, sub eisdem pœnis; quibus suprà. *Const. cum ad aures. 12. Febr 1679.*

30 Vt autem Confessarij in scientia polleant, quæ ad tantum munus est necessaria, omnibus huius nostræ Ciuitatis, tàm Clericis quàm Sacerdotibus iubemus, vt diebus, quibus in nostra Cathedrali casuum lectio, vel eorum conferentia habetur nullus absit sub pœna à nobis taxanda, nisi assignata causa absentiæ, dispensationem à Vicario Generali obtinuerit, & idem obseruare decernimus in Diæcesi, vbi curam Vicario Foraneo committimus.

31 Mandamus insupèr, vt in priuatis domi-

domibus nulli sine vrgente necessitate; & tunc in loco, quò ab alijs prospici, non autem audiri queat hoc Sacramentum ministretur, sed in Ecclesia, & in Confessionarijs ad eas audiendas deputatis; Mulierum verò confessiones nonnisi ad Crates excipiant sub pœna ad nostrum arbitrium, sed nullatenùs antè ortum, vel post Solis occasum.

32 Parochos monemus, vt non solùm tempore necessitatis, & Quadragesimæ, sed semper ad fidelium confessiones excipiendas, qui pro animarum suarum salute ad hoc Sacramentum accesserint sint parati; & omnibus confessarijs inhibemus sub pœna suspensionis ab excipiendis confessionibus, ne infirmorum animos irretiant fraudibus, aut precibus, cohortationibusque defatigent, vt sibi legata impertiantur, sed ad eorum liberam relinquant voluntatem præ oculis habentes Diui Hieronymi verba: Ecclesia sit hæres, quæ illos genuit, & nutriuit; ignominia est enim Sacerdotis proprijs studere diuitijs.

Epist. ad Nepotian.

33 Pœnitentiæ Sacramentum Confessarij ministrent in Ecclesia pro Mulieribus, poterunt tamen pro Viris etiam in claustro, Sacristia, aut alio decenti, & patenti loco ministrare. Diebus tamen festiuis superpelliceo, stolaque violacea induti; non absoluant, qui symbolum fidei, & Decalogum,

logum, salutationem Angelicam, & Orationem Dominicam nesciunt, sed hortetur, vt priùs discant, & ad id certum tempus præscribant.

34 In administratione prædicti Sacramenti non sit, qui munera petat, aut eleemosinas pro satisfactione iniungat, cum onere illas sibi ipsi, aut suis Ecclesijs applicandi; si autem aliquando restitutio fieri contigerit non ipse hoc munus subeat, sed Parochus, aut alius Sacerdos probus assumat, saluo semper sigilli secreto, & districtè prohibemus omnibus Ecclesiasticis sub pœna carceris per annum, quòd non sint nuncij hominum perditorum (qui per modum compositionis aliena subtrahunt) sub prætextu minus cuitandi malum, secreto confessionis.

35 Tradendi sunt brachio sæculari non Presbyteri Missam celebrantes, vel confessiones audientes iuxtà Pontificum decreta.

36 In pœnitentijs iniungendis pro satisfactione illud idem, quod Concil. Tridentinum omnibus Confessarijs notum esse vult inhibemus, nempè pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & conuenientes satisfactiones esse iniungendas, ne si fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungentes, alienorũ pec- *Sess. 14 cap. 8.*

catorum participes efficiantur, & ne pœnitens magnam putet pœnitentiam, ad eius memoriam Sacerdos inducat antiquas à Patribus dari consuetas, siquidem septennis pro quolibet peccato mortali erat in vsu.

37 Quæ ad Sacrosanctum Confessionis sigillum pertinent toto conatu tuenda curent, sciantque in nullo prorsùs euentu, nec verbis, nec aliquo signo, directè, aut indirectè violari posse: imò nec scientia ex confessione comparata, etiam sine sigilli fractione, dummodò aliquod obuenit incommodum pœnitenti, etiam
Feria 4 die 18. Nouemb 1682 ad aliud eiusdem maius malum vitandum, vt è nouissimis Sacræ Congregationis instruimur decretis.

38 Medicos hortamur, vt in Infirmorum visitatione, eos de confessione admoneant, ne vltrà tertium diem protrahatur tàm salubris animæ medicina, quo elapso deferendum infirmum Sacri Cano-
Incip. supra Greg. nes, & præcipuè B. Pij V. Bulla certis designatis pœnis statuunt, & decernunt. Ac insuper Confessarios, vt ægrotos admoneant ad eleemosinas, vel alia pia opera pro anima sua, aut exoneratione conscientiæ facienda, aut relinquenda, & nullo pacto Parentes ægroti, siuè alij, quibus eius incumbit cura, Religiosos viros, Confessarios, aut Notarios per vim, & fraudem impedire, aut retardare præsumant, ne lecto decum-

decumbentes, & vita periclitantes adeant, eiusque dispositiones excribant, aliàs contrà huiusmodi impios cum ingenti procedemus rigore.

39 Admonemus item omnes Confessarios vt Bullam contrà solicitantes perlegant, pro cuius maiori facilitate aliqua ad litteram transcribuntur verba Pontificis. *Gregorij XV. Vniuersi Dominici gregis anno 1622 die 30. Augusti.*

EX BVLLA CONTRA SOLICITANTES.

40 AC propterea ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit, statuimus, decernimus, & declaramus, quòd omnes, & singuli Sacerdotes, tàm Sæculares, quàm quorumuis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum, Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares cuiuscumque dignitatis, & præheminentiæ, aut quouis priuilegio muniti existant, qui personas, quæcumque illæ sint ad inhonesta siuè inter se, siuè cum alijs quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confessionis, siuè antè, vel post immediatè, seù occasione, vel pretextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non secuta, siuè extrà occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque vbi confessiones Sacramenta-

les audiantur,seù ad confessionem audiendam electo,simulantes ibidem confessiones audire, solicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos,& inhonestos sermones, siuè tractatus habuerint, in officio Sanctæ Inquisitionis seuerissimè, vt infrà puniantur. Et præterea omnes hæreticæ prauitatis Inquisitores,& locorum Ordinarios omnium Regnorum, &c. perpetuò iudices delegamus, vt super his contrà prædictos simul, vel separatim in omnibus inquirant, & procedant, & quos culpabiles repererint in eos pro criminum qualitate, & circumstantijs suspendant ab executione ordinis, priuationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis actiuæ, & passiuæ, si Regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceres, etiam in perpetuum absque vlla spe gratiæ, aliasque pœnas decernant,eos quoque si pro delicti enormitate grauiores pœnas meruerint,debita præcedente degradatione Curiæ Sœculari puniendos tradant, &c. Mandantes omnibus confessarijs, vt suos pœnitentes, quos nouerint fuisse ab alijs vt supra solicitatos, moneant de obligatione denunciandi solicitantes, seù vt præfertur tractantes,Inquisitoribus,seù locorum Ordinarijs prædictis, quòd si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denunciandum

con-

confessarios solicitantes, seù tractantes vt suprà, ijdem locorum Ordinarij, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant, &c. Datum Romæ, &c.

41 Aduertant ergo Confessarij solicitantes, quòd licèt ipsi absolui possint per Sacramentum pœnitentiæ ab hoc delicto solicitationis à quolibet Confessario approbato, cum non sit casus reseruatus in Iure, nihilhominus tenentur pœnitentes suum confessarium solicitantem denunciare, & non possunt absolui nec ab eo, nec ab alio confessario, nisi cum onere denunciandi Sancto Officio, vel Ordinario loci, immò non solùm ipsi pœnitentes, sed etiam quilibet, qui à personis fide dignis audierint, talem confessarium hanc, vel illam solicitasse, tenetur hoc reuelare, etiam si sciuerit in secreto, & hoc propter bonum publicum, & in fauorem Fidei.

42 Moneantque pœnitentes, quòd nõ excusantur à prædicta denunciatione prætextu quòd mulier fuerit socia criminis, quia licet materialiter sit talis, cum ipsa consentiens peccet simul cum Confessario, prout tamen hoc crimen per decreta Pontificum pertinet ad Inquisitores, seù Ordinarium, non dicitur socia criminis, quia hoc modo crimen huiusmodi solùm pertinet ex parte Confessarij, purà vt habet rationem solicitationis ex parte ipsius tantùm, quo pacto mulier non est socia: hinc

Hinc est quòd si Confessarius vellet reuelare consensum pœnitentis non admittitur, sicut neque ipsi pœnitentes solicitati etiam si consenserint, imò fuerint primi in miscendis sermonibus inhonestis, aut confessarios solicitauerint, suum tenentur, aut debent dicere consensum, aut peccatum, & si dicant, non recipitur, quia satis erit, si absolutè explicent se fuisse ab illo solicitatos, aut cum ipsis turpes habuisse, & inhonestos sermones.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Inquisitionis die 2. Octob. 1665.

Const. licet aliàs §. 2. & 4. anno 1660. die 8. Iunij.

43 Non prætermittendum est etiam quòd nouissimè ab Alexandro papa VII. fuit damnata propositio septima in ordine, quæ asserebat: Modus euadendi obligationem denunciandæ solicitationis est, si solicitatus confiteatur cum solicitante, hic potest ipsum absoluere absque onere denunciandi, ac etiam ab eodem Pontifice fuit mandatum omnibus & singulis superioribus Religionum, ac etiam eorum subditis, vt etiam si nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmissa fuerit, ad denunciandum accedere de fide quomodolibet etiam leuiter suspectos teneantur: Ac propterea eosdem debere omnes, & quoscumque etiam alios a se consilium petentes, monere, & obligare ad denunciandū, quæ audierunt, vel viderunt, nec posse illos à denunciando sub fraternæ correctionis titulo, vel quouis alio prætextu retrahere, aut retardare, reiectis penitùs huiusmodi

modi opinionibus, aut interpretationibus, quas Sanctitas sua cum voto Cardinalium tanquam perniciosas, temerarias, & non consistentes, & à mente Sanctitatis suæ prorsùs alienas reprobauit,& reprobat.Hęc ille.

44 Vt autem benè sciant Confessarij quousque eorum extenditur facultas, vltra notitiam irregularitatum, suspensionum, & excommunicationum, quæ sunt de Iure in memoriam reuocamus casus Bullæ in Cæna Domini, & alios, qui sæpè præ manibus haberi solent, nec non casus, qui à nobis iam huc vsque ex antiqua huius Diœcesis Synodo sunt reseruati, qui quidem saltem cum illis in Bulla Cænæ in confessionarijs Ecclesiarum nostræ Diæcesis affixos retineri volumus, pro quorum maiori facilitate hic transcribimus.

CASVS RESERVATI IN BVLLA Cœnæ.

45 *HÆretici cuiuscumque sectæ, eorumdem fautores, libros legentes, tenentes, aut imprimentes, & Schismatici.*

Appellantes à Pontifice ad futurum Concilium, eorumque fautores.

Pyratæ, atque eorum receptatores, & fautores.

Naufragorum Christianorum cuiuscumque generis bona, etiam in littoribus inuenta subripientes.

Im-

Imponentes noua pedagia, & gabellas, vel eas augentes.
Falsificantes litteras Apostolicas, aut falsò fabricantes.
Deferentes arma, & alia vsui bellico idonea ad Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos, & ad Reipublicæ Christianæ statum pertinentia, ijsdem in damnum Christianorum nunciantes.
Impedientes eos, qui victualia, & alia necessaria Romam conuehunt.
Ad Sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes, sua, aut aliorum opera lædentes, & sine iurisdictione vexantes in Curia commorantes.
Romipetas, ac peregrinos etiam in Vrbe morantes, vel abeuntes lædentes.
Offendentes S. R. E. Cardinales, & alios Prælatos.
Ad Romanam Curiam pro negotijs suis recurrentes per se, vel per alios lædentes.
Appellantes à grauamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum ad laicam potestatẽ.
Executionem litterarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum impedientes, & prohibentes ad gratias impetrandas accedentes.
Iudices Sæculares, qui Ecclesiasticas personas trahunt ad sua Tribunalia, quique Ecclesiasticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant.
Impedientes Prælatos ne sua iurisdictione vtantur, quique illorum, & Delegatorum iudicia
elu-

eludentes, ad Curiam Sæcularem recurrunt, aut contra illos decernunt, præstantesque auxilium.

Vsurpantes Sedis Apostolicæ, & quarumcumque Ecclesiarum iurisdictiones, vel etiam fructus sequestrantes.

Imponentes decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis; Ecclesijs, Monasterijs; aut eorum fructibus.

Iudices Sæculares, qui se interponunt in causis capitalibus, seu criminalibus contra Ecclesiasticas personas.

Occupantes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ, & illius iurisdictionem vsurpantes.

ALII CASVS SVMMO PONTIFICI intra Italiam reseruati.

46 *Violatio Clausuræ Monialium ad malum finem.*

Inijcientium violentas manus in Clericos.

Simonia realis scienter contracta.

Confidentia beneficialis.

Prouocantium, & pugnantium in duello iuxtà Concilium Tridentinum, & constitutionem Gregorij XIII. **Const. adtollendum detestabilem ann. 1582.**

Violatio immunitatis Ecclesiasticæ circà confugientes ad Ecclesias ex Gregorio XIV. **Constitutione cũ aliàs nonnulli an. 1591.**

CASVS EXCEPTI, ET EXPRESSI IN BVLLA GREGORII XIV.

In quibus confugientes ad Ecclesiam non gaudent immunitate.

47 *PVblici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel puplicas stratas obsident, ac viatores ex insidijs aggrediuntur.*
Aut depopulatores agrorum.
Quiue homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesijs, eorumue cæmeterijs committere non verentur.
Aut qui proditoriè proximum suum occiderint.
Aut assassini.
Aut hæresis rei.
Aut læsæ Maiestatis in personam ipsiusmet Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur.

CASVS RESERVATI IN DIÆCESI PACTENSI.

48 *HOmicidium voluntarium, Abortum procurantes, testimonia falsa cum præiudicio partis in iudicio proferentes.*
Notarios quoscumque, qui contractus vsurarios, aut alios fictos cum præiudicio partis publicè, vel occultè faciunt.
Falsarios, qui hos, aut alios contractus fingunt.
Legata pia non soluentes intra annum à Defuncti morte. Pa-

Parentes proprios percutientes.

Bestiales omnes, aut sodomitas. Fornicantes cum Monialibus, & cum propinquis intra primum, & secundum gradum.

Rapientes, aut violentiam inferentes Virgini, aut alicuius Vxori.

Ecclesiam publicè violantes sanguine, vel semine in ea fuso.

Magicis artibus vtentes, easque alios docentes.

Mandamus autem, ne quis præterquam in casibus necessitatis à iure statutis, & præstito iuramento de comparendo coram nobis, aut nostro Pœnitentiario, quamprimùm potuerint, huiusmodi peccatores à peccatis nobis reseruatis audeat absoluere, (nisi ex priuilegio Bullæ Cruciatæ eis concessum fuerit) sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

DECRETVM VI.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ Vnctionis.

49 VT iam ad gratiam per pœnitentiam reparatis, & Sacro Epulo refectis, ne in vltimo vitæ discrimine Christi militibus aliquod armaturæ cœlestis deesset; Extremæ Vnctionis Sacramento suos munit ad pugnam aduersus tenebra-

rum Principes Christianæ militiæ Imperator, quare eiusdem Sacramenti præconem Diuum Iacobum instituens omnibus auribus insonat: Infirmatur quis in vobis inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eũ vngentes eum oleo in nomine Domini, & Oratio Fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit remittuntur ei.

Iac.epist.c.5.

50 His ergo armis curent Parochi infirmos in vltimo agone constitutos, dum tamen adhuc sensibus, ac ratione pollent, munire; quamuis sensibus destitutis non sit denegandum, seruando ea, quæ in Rituali Romano præscribuntur circa orationes, modum vnctionis, & formam.

51 Huius Sacramenti materia remota est oleum ab Episcopo consecratum, proxima verò est Sacra Vnctio in vno saltem ex quinque corporis sensibus; Vnde vrgente mortis instanti, vel celeriter sacras perficiet vnctiones prudens minister, vel præcipuum aliquod membrum, putà manus, vel oculos, aut caput sub vnica vngat forma his verbis: Per istam Sanctam Vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, & gressum deliquisti; gossipio inunctum corpus infirmi abstergatur, quod postea comburatur.

52 Cum ad ægrotos hoc Sacramentum

tum defertur, incedat Sacerdos superpelliceo, & stola violacea ornatus, Clerico comitante cum vno saltem lumine, qui Christi Domini Crucifixi habeat simulacrum, & aspergillum. Impœnitentibus, & in peccato mortali notoriè decedentibus, vel quibus Eucharistia est denegata hoc Sacramentum conferri non debet; neque pueris ante septennium, neque his, qui vltimo supplicio sunt plectendi, nec perpetuò amentibus, sed tantùm Infirmis adultis in extremo vitæ constitutis, etiam si tunc lustralibus aquis sint regenerati, non obstante, quòd nondùm cœlesti viatico òb aliquod impedimentum sint præmuniti, nec iterari debet in eadem infirmitate.

53 Oleum Sacrum Infirmorum diligētèr custodiat Parochus in vasculo separato ab oleo Cathecumenorum, & vasculo Chrismatis, vt commodiùs, & securiùs per omnes horas ad infirmos deferri possit, reponatque hæc vasa in Sacrario, vbi sunt Sanctorum Reliquiæ, in aliquo decenti loco.

54 In Paschate, quando omnium Ecclesiarum Parochi ad nostram Cathedralem pro oleis Sanctis mittere debent, mittant aliquem Clericum in Sacris constitutum: sub pœna arbitrio nostro infligenda, mandantes nostro Cathedralis ministro, ne alteri, quàm in sacris constituto illa exhibeat; Et olea vetera crementur quàm pri-

primùm; quòd si intra annum, olea paulatim desinere comperiat Parochus, & alia habere non poterit, oleum non consecratum in minori tamen quantitate cum sacrato miscere poterit; Nullatenùs tamen ab alieno Episcopo postulet, sed à nostra Cathedrali Ecclesia accipiat: Si verò intereà contigerit aliquem baptizandi necessitas, priusquam oleum recipiatur, baptizetur, & vnctio differatur.

DECRETVM VII.

DE

SACRAMENTO ORDINIS.

Sess. 23. Cap. 14. Sess. 23. Can. 3.

55 ORdinem vnum esse ex septem Sanctæ Ecclesiæ Sacramentis constat de fide, estque Sacramentum in quo traditur aliquibus ex officio peculiaris potestas ad Sacrosanctum Missæ sacrificiū, & Eucharistiam perficiendam, vel immediatè, vt solis Sacerdotibus, vel mediatè quibusdam alijs plus, vel minùs; confert characterem sicut Baptismus, & Confirmatio, & non potest sine sacrilegio iterari. In Ordine continentur septem veluti gradus, qui dicuntur etiam septem Ordines, quibus veluti per gradus ascenditur ad vltimum, quod est Sacerdotium; putà Ostiariatus,

Sess. 23. Can. 2.

ſtatus,Lectorat⁹, Exorciſtatus,Acolithatus, Subdiaconatus, Diaconatus,& Presbyteratus, ſeù Sacerdotium; primi quatuor dicũtur minores, & non Sacri; Vltimi tres maiores, & Sacri; quia per iſtos tres homines propriùs, & immediatiùs ordinantur ad ſacrificium Miſſæ, & Euchariſtiam conficiendam,& peculiari modo irreuocabiliter dedicantur ad eumdem finem, & habent in Eccleſia latina votum ſolemne caſtitatis annexum, & obligant ad Diuinum Officium recitandum,quod non competit alijs quatuor minoribus.

56 Prima Tonſura non eſt Ordo, ſed quædam præparatio, & diſpoſitio, ſeu ianua ad Ordines, nec eſt Sacramentum, ſed reddit ea initiatum, beneficiorum Eccleſiaſticorum capacem, atque priuilegio fori Clericalis, & Canonis rectè munitum, & ad ordines recipiendos idoneum; Similiter Epiſcopatus non eſt totaliter nouus ordo, ſed quidam gradus Sacerdotij, & veluti extenſio ipſiùs. Singulorum ordinum officia, & munera videri poſſunt in Rituali Romano. Materia proxima cuiuſcumque Ordinis vt eſt Sacramentum, ſi loquamur in vniuerſali, eſt traditio, & acceptatio alicuius rei quæ Ordinando traditur ab Epiſcopo, ipſa res dicitur materia remota, & verba, quæ in tali traditione ab Epiſcopo dicuntur ſunt forma.

57 Si verò loquamur de quolibet Ordine

dine

dine in particulari, materia Ostiariatus est traditio clauium, & Campanulæ; Lectoratus traditio libri lectionum, & prophetiarum; Exorcistatus traditio libelli exorcismorum,& adiurationum; Acolithatus traditio candelabri cum candela extincta, & traditio vrceoli vacui, quæ sunt veluti duæ materiæ partiales in hoc ordine. Formæ verò sunt verba cuiusque materiæ correspondentia, quæ ab Episcopo, dum eiusmodi instrumenta Ordinandis tradit,proferuntur, vt in Pontificali. Subdiaconatus materia partialis est traditio calicis vacui cum patena vacua, cui partialis hæc forma respondet (videte cuiusmodi ministerium &c.) Altera, traditio libri Epistolarum, cui correspondet hæc altera partialis forma (accipe librum Epistolarum, &c.) Materia Diaconatus vna est manuum Episcopi impositio super Ordinandum, forma ei correspondens(accipe Spiritum Sanctum,&c.) posterior partialis materia est traditio libri Euangeliorum; forma ei respondens (accipe potestatem, &c.) Sacerdotis demùm partialis materia est traditio calicis cum vino, & patenæ cum hostia superposita; forma respondens (accipe potestatem offerendi, &c.) posterior partialis materia eiusdem est impositio manuum Episcopi super Ordinandum,quando ei traditur potestas ad absoluendum à peccatis, partialis item forma ei respondens sunt verba

(acci-

accipe Spiritum Sanctum, quorum remi-
eris, &c.) & quidem in ijs Sacramentis, in
uibus sunt duæ veluti partiales materiæ,
t formæ, si casu aliquo vna ex illis omit-
atur debet suppleri in alia ordinatione,
on reiterata ea parte, quæ fuit integra.
V. G. si in Sacerdotio fuerit collata prima
otestas, quæ dicitur Ordinis, & non se-
unda, quæ dicitur iurisdictionis in com-
nuni, debet suppleri secunda, prima inte-
ra remanente, cum non dependeat à se-
unda, at verò cum secunda dependeat, &
upponat primam, si fuisset collata secun-
a, & non prima, inualidè fuisset collata,
 sic vtraque conferri debet. Denique
mnes ordinandi debent physicè, & re ve-
a tangere, quod traditur ab Episcopo, qui
er se ipsum instrumenta tradere debet
Ordinandis, & non per alium, licèt con-
actus quilibet leuior, & breuior sit suffi-
iens.

58 Vt igitur eis, qui ordinibus insigni-
i cupiunt, cum in sortem Domini vocen-
ur, & tamquam lucernæ super candela-
rum Ecclesiæ sint reponendi, eorumdem
ministerium probè exercere valeant; hæc
rcà ipsos ex Concil. Trid. & alijs Sacris
anonibus, & antiqua huius Diæcesis Sy-
odo statuere decreuimus.

59 In primis quisque Clericali militiæ
dscribendus, cogitet, se Deo mancipan-
um, & non ad forum Sœculare declinan-
 dum,

dum, vel aliud temporale quærendum (quod si principaliter intenditur, simoniæ labe non caret) Clericatum ambiat, sed ad Dei honorem, & Ecclesię vtilitatem, vt fidele obsequium Deo præstet, tales enim ad ministerium eligi oportet, qui dignè possint Dominica Sacramenta tractare, meliùs est namque, Domini Sacerdotium paucos habere ministros, qui dignè exerceant munus suum, quàm multos inutiles obtinere; Vnde ordinamus, quòd Clericorum numerus non sit maior, quàm Ecclesiarum seruitium exposcat, nec ad primam Tonsuram, aut minores Ordines admittātur, qui spem, vt ad Sacerdotium ascendant non promittunt, & sufficiens beneficium, aut Patrimonium ad congruam non teneant sustentationem.

60 Nemo ad ordines suscipiendos ab alio Episcopo accedat sine nostra expressa approbatione, & testimonio in scriptis obtento, sub pœna suspensionis ab ordinū executione ipso facto incurrenda, & carceris per triennium, & si constiterit de falsitate litterarum punietur pœnis statutis per Sacros Canones contra falsarios iuxtà criminis qualitatem.

61 Ad primam Tonsuram suscipiendā non accedat, qui fidei rudimenta benè non possideat, ac legere, & scribere sciat, Sacramentum Confirmationis susceperit, & vt Deo fidelem cultum prestet cum intention

ione ad alios ordines aſcendendi; quare litteras teſtimoniales deferre debet de morum probitate, legitimis natalibus, ætate, & origine, & apud Iudicem Sœcularem nullam habuiſſe accuſationem, non ſolùm in dicta Curia non eſſe alicuius criminis conuictum, aut alio quouis modo irretitũ, et conſtet animo ſeruiendi Deo, non fori ſœcularis fugiendi ad Eccleſiam confugere. Qui verò ad ordines minores promoueri cupit latinam linguam ſaltem mediocriter ſciat, & præter litteras teſtimoniales ſuſceptæ tonſuræ, vel ordinis, natalium, ac ætatis, fidem quoque authenticam Parochi, & Magiſtri Scholæ afferre debet de Scholæ, & Sacramentorũ frequentia, habitus non interrupta geſtatione, morum probitate; Sacris myſterijs in deſignatis Eccleſijs interfuiſſe, & aſſumptorum ordinum miniſteria laudabiliter exercuiſſe.

62 Ad Subdiaconatus ordinem nemo promoueri ſperet, qui præter teſtimonium ætatis ſufficientis, linguæ latinæ peritiam, & authenticum inſtrumentum, factas eſſe inter miſſarum ſolemnia denunciationes à Trid. requiſitas nulla infamiæ nota, nulla criminis querela eſſe damnatum, aut inquiſitum, non ære alieno, aut fide iuſſione grauatum, ſed vitæ integritate, & morum honeſtate, ac Chriſtianis virtutibus ornatum, adhùc ſufficiens Patrimonium, aut beneficium ſaltem duodecim vncearũ Seſſ. 23. Ca. 13.

ab omnibus oneribus liberum, verum, reale, & exigibile ad ſubſtentationem, & ſtatus decorem ſeruandum poſſideat.

63 Quare vt eius veritas nobis perſpicua eſſe poſſit; precipimus, vt ordinandus ſaltem per menſem ante promotionem nobis ſe præſentet, ſcripturas Patrimonij offerens, & fidem Parochi diligenter inueſtigaſſe de veritate Patrimonij, nullamque apparuiſſe doli, aut fictionis ſpeciem; vt intereà à nobis quoquè ſufficiens adhiberi poſſit diligentia de omni fraudis abſentia, ſciens ſi infrà menſem ad nos accedat nullatenùs proxima habenda ordinatione, ſed ſequenti fore promouendum.

64 Vt autem omnes fraudes propellere valeamus, innouamus in primis conſtitutiones huius Diæceſanæ Synodi contra eos, qui ficto Patrimonio, aut non ſecuro, aut aliquo intercedente pacto, etiam occulto de non petendo, vel retrocedendo, vel aliqua antecedente obligatione publica, vel priuata onerato ad Subdiaconatum promoti fuerint; nempè huiuſmodi incurrere pœnas, quas ſecundùm Iuris communis, & noſtras conſtitutiones incurrit ille, qui furtiuè, & ſine facultate noſtra ad ordines ſe ingerit.

65 Item precipimus, vt huiuſmodi inſtrumenta in Vrbe primò coram noſtro Vicario Generali, & poſtea ex noſtra commiſſione alteri, vel alijs à nobis deputandis,

dis, in Diæcesi verò coram Parocho formentur, & per duos probatæ vitę Viros cũ iuramento probetur esse libera bona Patrimonio addicta, vel ad noua onera Patrimonij sufficientia, quæ omnia denouo à supradictis in Vrbe recognoscantur, non admittendo donationes in promouendis, nisi donantes expressè promittant euictionem, & insuper excommunicationem (vltra alias arbitrarias pœnas) comminamur contra eos, qui aliquam fraudem in Patrimonij constitutione scientes, ad nos, vel ad Vicarium nostrum in Vrbe, & ad Parochos in Diæcesi non deferant infra spatium dierum nouem à die adeptæ scientiæ, & eidẽ subiectos volumus Parochos, qui denunciationem ad eos delatam ad nos transmittere neglexerint, vel in instrumentis conficiendis ex conniuentia, timore, vel amore testes supradictos admiserint, vel aliam quamcumque fraudis suspicionem habentes nihilhominus instrumenta firmare præsumpserint.

66 Insuper volumus vt ad titulum Patrimonij non admittantur ea bona, quæ ex Patris, matrisue, vel fratrum, aut sororum donatione procedunt, nisi ex renunciatione ob religionis professionem, cum in ijs præsumptio satis fundata fraudis, vel fictionis lateat, sed ad ordines sacros promouendum si in bonis hæreditarijs fundauerit Patrimonium ex sola portione sibi

iure

iure obtingente lætari posse, ita vt tantundem reliquis fratribus, & sororibus, aut Parentibus remaneat, quod pro eius Patrimonio assignatur, quod in Curia saltem per testes tres iuratos constare faciat. Sciàtque huiusmodi ordinati non posse Patrimonium alienare, permutare, aut grauare sub pœna suspensionis, & alijs arbitrio nostro infligendis.

67 Volumus etiam, quòd ante susceptionem Diaconatus, & Presbyteratus, ordinandus vltra præsentationem scripturarum Patrimonij, vt suprà, afferat instrumenta, veram, & realem possessionem Patrimonij, & ipsiùs vsus fructus perceptionem indicantia.

Trid. Sess. 23. c. 13. de ref.

68 Maximè caueant omnes ad ordines promouendi, ne ante legitimam ætatem, aut per saltum ad ordines ascendere præsumant; priores suspensionis pœnam a Pio II. constitutam incursuri, & in irregularitatem incidere, si eo tempore ordinum exercitia præstent; posteriores verò à susceptorum ordinum executione quamdiu proprio Episcopo videbitur erunt suspensi, & si in ordine non ritè suscepto sine facultate, aut dispensatione ministrent irregularitate afficiuntur.

Vrb. 8. Const. contra falsò promotos.

69 Ætas autem debita vt quis ordinetur prima Tonsura est septennium completum, pro tribus primis minoribus ordinibus relinquitur àrbitrio Episcopi, dum-

Sess. 23. c. 11.

dummodo Ordinandus saltem linguam latinam intelligat, & scientiam in singulis ordinibus necessariam habeat. Pro ordine sacro Subdiaconatus ætas statuta à Tridẽtino est annus vigesimus secundus inceptus; pro Diaconis vigesimus tertius ingressus, pro Presbyteris vigesimus quintus adhuc inchoatus. Rursus requiritur, vt ordines conferantur debitis interstitijs, & temporibus, & quidem minores Ordines si Episcopus dispenset possunt vni conferri eodem die, sed ad Sacros, & maiores Ordines non nisi post annum à susceptione postremi gradus minorum Ordinum debet quis promoueri, nisi necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas iudicio Episcopi aliud exposcat. Et promoti ad sacrum Subdiaconatus Ordinem si per annum saltem in eo non sint versati, ad vlteriorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittuntur. Qui verò ad Presbyteratus Ordinem assumuntur, debent in Diaconatu ad minùs annum integrum ministrasse, nisi ob Ecclesiæ vtilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur.

Sess. 23. cap. 12 ...

Trid. ...

70 Tenentur non solùm Sacris Ordinibus ordinati ad officium diuinum quolibet die secundùm Romanæ Ecclesiæ ritum sub lethalis onere peccati recitandū, sed etiam Clerici Beneficiati, qui etiam fructuum priuatione, & Sacrorum Canonum pœnis, alijsque Iuris remedijs nostro arbitrio sunt puniendi.

Cùm

71 Cùm Pontificia sanctione firmatū sit, neminem nisi sacris Ordinibus initiatū posse præcipuas sacri Altaris functiones exercere, maximè in Cathedralibus, & Collegiatis, ideò Concilij Trident. decretis etiam inhærentes, volumus, tùm in Vrbe, tùm extrà, non nisi per Subdiaconos in Missa Epistolas, Prophetias, vel veteris testamenti lectiones solemniter enunciari, & per solos Leuitas, aut Presbyteros Euangelium decantari.

Seß.23.cap.17 de reform.

72 Caueant Examinatores, eos, qui vestitu deformi, habituq; Ecclesiastico nō condecenti accedunt, ad examen admittere, donec decenti induti vestitu, & ritè tonsi redierint, neque dignos in examine excludant, aut indignos, & inhabiles approbent, & causa examinis nihil antè, vel post examen accipiant, & accuratissimè attendant, an Ordinandi aliquo Canonico impedimento ex infrascriptis sint irretiti, putà an sint minores ætate præscripta, an illiterati, scientiam non habentes necessariam, an sint suspensi, interdicti, excommunicati, homicidæ, mutilantes membra, mandantes, consulentes, aut quouis modo irregulares, siuè ex delicto, siuè ex defectu, an sint criminosi, indigni, malæ vitæ, solemniter pœnitentes, Neophiti, infames infamia Iuris, vel facti, impudici, periuri, Vsurarij manifesti, æbrietati dediti, Bigami, idest si mortua prima Vxore alte-

Trid. Seß. 24. c.17. de reform

alteram duxerint, an etiam si cum Vidua, vel ab alio corrupta matrimonium olim inierint, aut voto solemni castitatis addictam duxerint, item si coniugati, aut hermaphroditæ, item illegitimi, corpore vitiati, insigniter deformes, ad ratiocinia Reipublicæ obligati ex administratione, quã gesserint, antequàm rationem reddiderint, amentes; etiam si dilucida rationis interualla quandoque videantur habere, morbo caduco laborantes, furiosi, Ænergumeni, serui, si stipendium belli, vnde hominum cædes extiterit susceperint, etiam quòd non sint præliati, Peregrini, aut ignoti fuerint, presertim Vltramontani, putà Hispani, Lusitani, Galli, &c. pro quibus seruetur Bulla Vrbani VIII. 1614. die 11. Aprilis, quæ quidem Regulares vltramontanos non compræhendit; An medicinam exercuerint, Iudicis criminalis munus in foro Sæculari gesserint, sententiam capitis protulerint, officium testis, Procuratoris, Aduocati fiscalis in iudicio, quo quis capite damnatus fuit confecerint, aut tanquam Notarij acta conscripserint; an Religiosi in religione, cui adscripti sunt ad professionem admissi fuerint ex Bulla Clemen. VIII. & Decreto Vrbani VIII. An priuilegium Sedis Apostolicæ obtinentes, vt promoueri possint ad ordines à quocumque Episcopo etiam non suo, litteras habeant commendatitias, seù testimoniales

sui Ordinarij, in quibus eius probitas, & mores commendentur; non loquimur de litteris dimissorijs, scilicet de licentia recipiendi ordines; hæc enim adest supposito Breui Pontificio.

73 Monemus regulares, vt obseruent Decretum Sacræ Congregationis de mandato Sanctissimi Domini nostri Clementis Papæ VIII. cuius tenor est: Congregatio Concilij censuit Superiores Regulares posse suo subdito itidem regulari, qui præditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere ad Episcopum tàmē Diæcesanum, nempè illiùs Monasterij, in cuius familia ab ijs, ad quos pertinet is regularis positus fuerit, & si Diæcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quẽcumque alium Episcopum, dùm tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quòad doctrinam, & dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Diæcesanus, vel absfuturus, vel nullam habiturus esset ordinationem; Verùm cum à Superioribus Regularibus, Episcopo Diæcesano absente, vel ordinationes non habente, litteræ dimissoriæ dabuntur, in eis vtique huiusmodi causam absentiæ Diæcesani Episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse, quod qui non fecerint, Officij, &

Die 15. Martij 1596.

digni-

dignitatis, seù administrationis, ac vocis actiuæ, & passiuę priuationis, ac alias arbitrio eiusdem Sanctissimi D. N. Papæ reseruatas pœnas incurrent. Quòd si regulares ordinandi morentur in Monasterio nullius Diæcesis huiusmodi dimissorias concedendas esse ad Episcopum viciniorem, inque procedere omnia, quæ de Episcopo Diæcesano superiùs pręscripta sunt. *Mense Decem. anno 1619.*

74 Si quis autem facultatem à Sede Apostolica impetrauerit, vt possit à quocumque Episcopo promoueri, non suffragatur, nisi legitimam habeat causam, ob quam à proprio Episcopo ordinari non possit, in litteris dimissorialibus exprimēdam. vt decreuit Sacros. Concil. Trident. *Sess 7. cap. 11.*

75 Insuper sciant etiam Regulares quòd eadem Sacra Congregatio censuit non posse Superiores Regulares dispensare super interstitijs regularium Ordinandorum, sed id pertinere ad Episcopum Ordinantem, qui tamen quoad causam dispensationis iudicium suum formare debet ex attestatione Superiorum Regulariū: vnde solùm, vt patet, ad ipsos solùm pertinet dispensationem petere, & causam dispensandi Episcopo manifestare, & huiusmodi litteræ dimissoriales pro suscipiendis Ordinibus non sint vetustiores duobus, tribusue mensibus à die Sacræ Ordinationis computandis, nisi aliqua existēte legitima causa, & memores sint Prælati

Regulares in litteris dimissorijs exprimere nomen, quo in sœculo vocabatur religiosus in sacris promouendus, vt ex fide baptismali in forma probante præsentata colligi possit ætas, quæ ibi exprimitur sub nomine, quod Ordinando fuit impositum in baptismate.

76 Demùm Ordinationis nostræ Cancellarius librum habeat, in quo diligenter Clericorum omnium tàm Sœcularium, quàm Regularium, qui ad quoscumque Ordines promouentur, nomina, cognomina, Patria, dies, locus, & titulus Patrimonij, vel Beneficij, aut paupertatis, sint ascripta, & si sit alterius Diœcesis, etiam ipsius mentio fiat; atque eorum litteras dimissoriales conseruet, quæ omnia quolibet anno Archiuario principali nostræ Curiæ tradat, vt in Archiuio ad perpetuam memoriam seruentur.

DECRETVM VIII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

77 Matrimonium, quod à Deo initio nascentis Orbis in officium naturæ institutum est, ita indissolubiliter duos vincit, vt sint duo in carne vna, & vt non

liceat,

liceat, quod Deus coniunxit, homini ſeparare; In Euangelica verò lege ad ſublimem euectum gratiæ gradum inter ſeptem à Chriſto Domino annumeratum eſt Sacramenta, vt Paulus ad Æpheſios dixerit: Sacramentum hoc magnum eſt, Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia, quia ſcilicet vnionem Verbi cum humana natura, & Chriſti cum Eccleſia ſignificat. Vt ergo nuptiæ à Chriſto ſanctificatæ, teſte Auguſtino, Sanctè tractentur, Parochis noſtris mandamus, ac diſtrictè precipimus, vt Tridentinas conſtitutiones in matrimonijs peragendis obſeruari diligentiſſimè curent. *Seſſ. 24. de reform. matrim.* Sciant igitur in primis materiam remotam huius Sacramenti eſſe corpora contrahentium; proximam verò contrahentium actus, quibus corporum mutua exprimitur traditio ſecundùm Eccleſiaſticas leges, non clàm, ſed coram Parocho, & teſtibus; formam eſſe conſenſum vtriuſque, verbis, vel nutibus liberè, ſenſibiliter, & ſufficienter exprimentem eorumdem corporum acceptationem; miniſtros eſſe ipſoſmet cõtrahentes, ſibi mutuam materiam, & formam applicantes, finem eſſe prolis ſuſceptionem, ciuſdemque educationem ad Orbis propagationem, qui ſi abſit, ſed ob ſolam delectationem exerceatur veniali ſaltem non caret labe, quamuis finis ſecundarius ſit remedium concupiſcentiæ, & mutuum auxilium. *Prop. damnat. ab Innoc. XI.*

78 Effectus eiusdem, vt Sacramenti est gratia ex meritis Christi eiusque augmentum non ponentibus obicem collata, quare sponsos, antequam matrimonio coniungantur, sacramentali pœnitentia Christo reconciliatos sacraque mensa refectos parari volumus, vt à Deo bonorum omnium largitore amor reciprocus, & coniugalis beneuolentia; quæ sunt eiusdem effectus obtineatur. Proprietates, ac conditiones matrimonio adhærentes sunt insolubilitas, cohabitatio, thori nuptialis fidelis custodia, debita Vxoris ad Virum subiectio, & reciproca Viri ad Vxorem, tanquàm ad laborum sociam reuerentia, vitæ concordia, & tanquàm duo in carne vna socialis identitas, & mentis, ac animæ stabilis connexio. Parochi, imò, & omnes Confessarij attentè considerent impedimenta Matrimonij, quorum aliqua sunt solùm impedientia, quæ scilicet non inualidant matrimonium, sed dicuntur illicita, seù non dirimentia, quæ quidèm licèt antiquitùs plura numerabantur, hodiè tamen reducta sunt ad quatuor, aut quinque, putà: Votum, Interdictum, Cathechismus, Sponsalia, & Crimen, & secundùm aliquos Doctores plura per dissuetudinem sunt penitùs sublata.

79 Primum, vt si quis votum simplex castitatis, aut religionis emiserit, (exceptis votis simplicibus Societatis Iesu) & Vxo-

rem

rem duxerit peccaret (non loquimur de voto solemni in professione religiosa, aut in Ordinato in Sacris incluso) sed matrimonium non est inualidum, & licèt, qui vouit castitatem possit reddere, non tamen petere potest debitum, qui verò vouit religionem, licèt post consummatum matrimonium possit petere debitum, consummando tamen illud peccaret, quia adhuc potest implere suum votum ingrediendo religionem per spatium duorum mensium post contractum Matrimonium. Verum tamen est, quòd etiam mortua Vxore, semper remanet prædictum impedimentum, & Episcopus, si est votum simplex castitatis perpetuæ, seù religion s, secundùm aliquos non potest dispensare ad petendum debitum cum eo, qui cum dicto voto inijt matrimonium, cum sit Papæ reseruatum, & si alij ex consuetudine contrarium sentiant.

8. Secundum impedimentum est Interdictum, idest prohibitum, seù vt alij dicunt vetitum, vt si quis esset prohibitus per Ecclesiam ne matrimonium ineat tali tempore ob aliquam iustam causam, si nubat peccat, & similiter si tempore prohibito faceret solemnitates nuptiarum, scilicèt solemnes traductiones Sponsæ ad domum Sponsi cum multis lætitiæ signis, ac benedictionibus solemnibus matrimonij, peccaret, sed tenet matrimonium. Vbi aduertendum,

Sess.24.cap.10 tendum, quòd tempore, quo à Trid. prohibentur nuptiæ, intelliguntur solùm prohibitæ benedictiones solemnes Matrimonij, & solemnes traductiones Sponsæ vt suprà, non autem est vetitum iniri matrimonia in prædicto tempore, vel consuetas denunciationes fieri, vel priuatas traductiones Sponsæ ad Sponsi domum.

81 Tertium est Cathechismus, vt si quis teneret baptizandum, & responderet in illis ceremonijs, quæ antecedunt baptismum tantùm, & significantur nomine Cathechismi, & non susciperet etiam in baptismo, contraheret imperfectè eamdem cognationem, sed non esset impedimentum dirimens; idem dicendum est de Cathechismo *confirmationis*.

82 Quartum sunt sponsalia, vt si quis contraxerit sponsalia cum aliqua persona, & posteà contrahit cum alia, sponsalibus prioribus non legitimè dissolutis, & si ista alia esset consanguinea posset esse impedimentum dirimens publicæ honestatis vt dicemus.

83 Quintum impedimentum non dirimens est crimen, vt si quis est susceptor proprij filij in baptismo, vel Confirmatione cum animo, vt contrahat cognationem cum Vxore sua, cætera vide apud authores.

84 Alia verò impedimenta non solùm impedientia, sed etiam dirimentia matri-

matrimonium dicuntur; ideſt quæ illud irritant, & annullant, ac inualidant, & hęc ſunt quatuordecim, & quidem *Primò* eſt error ſubſtantialis in perſona; Secundò conditio ſeruitutis ignoratæ, Tertiò votum ſolemne caſtitatis. Quartò cognatio naturalis, ſeù conſanguinitas vſque ad quartum de Iure Canonico gradum; cognatio ſpiritualis, in qua non numerantur gradus, ſed hodie per Trident. in baptiſmo, & cōfirmatione baptizatus, aut Confirmatus ſolùm contrahit cognationem ſpiritualem cum baptizante, aut confirmante, & cum Patrino, aut Matrina per filiationem; Pater verò, & Mater eiuſdem baptizati, aut confirmati contrahunt cum eodem baptizante, & cum Patrino, & Matrina per compaternitatem; & cognatio legalis ſecundùm illas ſpecies, quas Eccleſia approbauit: videlicèt perſona adoptans cum adoptato, huiuſque vxore, ac filijs, aut nepotibus vſque ad quartum gradum, perſona adoptata cum adoptante, huiuſque Vxore, ac filijs carnalibus. *Seſſ.24. cap.2.*

85 Quintò impedimentum dirimens eſt crimen, ideſt conſpiratio vtriuſque in occiſionem coniugis animo, vt inter ſe contrahant, & ſine adulterio; vel adulterium cum occiſione, animo contrahendi ſiuè mutua tamen conſpiratione; vel adulterium cum promiſſione matrimonij, ſi talis promiſſio acceptetur, ſiuè ante, ſiuè

post adulterium; vel cum quis post matrimonium ratum cum aliqua, contrahit cum alia aliud matrimonium, & consummat illud, sciente hac secunda vxore non potest cum hac secunda contrahere, si primum fuerit verum matrimonium. Sextò cultus disparitas, idest matrimonium inter personam baptizatam, & non baptizatam; non tamen Catholici cum hæretico, quia hæreticus supponitur baptizatus; vnde licet huiusmodi matrimonium inter illos infideles sit illicitum, non tamen est inualidum. Septimò, Vis, idest matrimonium factum vi, coactione, & metu, non libero contrahentium consensu. Octauò Ordo sacer, nam si aliquis sit ordinatus etiam saltem Subdiaconus, non solùm inualidè contrahit, sed etiam est excommunicatus; non tamen e contra, si vxoratus suscipiat ordines sacros, quia licèt peccet, & pœnis Iuris Canonici subiaceat, est tamen validè ordinatus. Nonò ligamen, idest persona alteri per matrimoniũ etiam ratum ligata, non potest viuente coniuge, alteri per simile matrimonium ligari, & à fortiori si primum esset etiam consummatum.

86 Decimò publica honestas, quod quidem impedimentum publicæ honestatis, vel oritur ex matrimonio rato, & tunc dirimit vsque ad quartum gradum inclusiuè, vel oritur ex sponsalibus, & tunc ex

Tri-

Trident. vſque ad primum gradum V. G. Sponſæ de præſenti cum conſanguineis Sponſi vſque ad quartum gradum, & Spõſus pariter de præſenti cum conſanguineis Sponſæ, quamuis demortuæ vſque ad quartum item gradum: Sponſa de futuro cum conſanguineis in primo gradu Sponſi, quamuis demortui, & Sponſus adhuc de futuro cum conſanguinea in primo gradu Sponſæ, ſiuè viuentis, ſiuè item mortuæ. Vndecimò Affinitas, quæ ſi eſt orta ex copula completa, & licita, ideſt inter legitimos cõiuges conſummata intra vas fæminæ, dirimit ſubſequens matrimonium vſque ad quartum gradum conſanguinitatis incluſiuè, ſi verò erit completa, ſed illicita, ideſt fornicaria ſolùm vſque ad ſecundum gradum conſanguinitatis dirimit hodie per Trident. Verùm quando coniugibus poſt matrimonium ſuperuenit dicta affinitas ex copula illicita poteſt Epiſcopus in huiuſmodi impedimento petitionis debiti diſpenſare. Duodecimò eſt Impotentia; non quidem generandi, quia hæc eſt potiùs ſterilitas, ſed coeundi, ſeù inhabilitas ad conſummandam copulam. Decimotertiò Raptus, ſuper quo impedimento Trident. decreuit inter raptorem, & raptam quamdiù ipſa in poteſtate raptoris manſerit nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Decimo quartò impedimentum dirimens eſt abſentia

Seſſ.24.cap 3.

Seſſ.24.cap.4.

Seſſ.24.cap.6.

Parochi, & duorum, vel trium testium, quibus absentibus non perficitur contractus, & consequenter non tenet matrimonium in quantum Sacramentum, quod
Sess. 24. cap. 1. fundatur in vero, & valido contractu.

87 Vt autē melius perpendantur gradus consanguinitatis, & affinitatis ponuntur sequentes figuræ.

LINEA CONSANGVINITATIS RECTA ascendentium, & descendentium secundùm Ius Canonicum.

ATAVVS
Quartus gradus.
ABAVVS
Tertius gradus.
PROAVVS
Secundus gradus.
AVVS
Primus gradus.

stipes

PATER.

FILIVS
Primus gradus.
NEPOS
Secundus gradus.
PRONEPOS
Tertius gradus.
ABNEPOS
Quartus gradus.

In hac prima supradicta figura tàm descēdentium, quàm ascendentium quot personæ sūt in dicta linea, vna dēpta, tot sūt grad⁹

88 LINEA CONSANGVINITATIS transuersa seù collateralium in distantia æquali.

PATER MATER
Stipites.

Filius.	Frater, & Soror. Primus gradus.	*Filia.*
Nepos.	Consobrini primi Secundus gradus.	*Neptis.*
Pronepos.	Consobrini secundi Tertius Gradus.	*Proneptis.*
Abnepos.	Consobrini tertij Quartus gradus.	*Abneptis.*

In hac secunda figura in qua vnaquæque persona distat æqualiter à communi proximo stipite, quoto gradu distant à cõmuni stipite, eodem distant inter se, sic duo fratres sunt in primo gradu, duo consobrini primi in secundo &c.

89 LINEA CONSANGVINITATIS transuersa in distantia inæquali.

(PATER STIPES)

FILIVS coiuncti in primo gradu. FILIVS

2. gr. seu 1. in 2.

NEPOS NEPOS.

3. grad. seu. 1. in 3.

4. gr. seu 1. in 4.

PRONEPOS PRONEPOS

TRINEPOS TRINEPOS

In hac tertia figura eo gradu distant personæ inter se, quoto gradu remotior persona distat ab vno communi stipite; sic filius fratris distat à Patruo, seù à fratre sui Patris in secundo gradu, seù 1. in 2. & sic de alijs &c. Verùm in petendis dispensationibus est necessarium exprimere determinatè inequalitatem his vocabulis V. G. primus in 2. primus in 3. &c. item secundus in 3. Tertius in 4. &c. Vnde à persona remotiori à communi stipite sumitur gradus remotior, à primo propinquiori autem sumitur gradus propinquior, facta computatione ab vno eodem stipite. ORI-

90 ORIGO AFFINITATIS.

Vir	coniuncti.	& Vxor.
Mater, aut soror fœminæ	Primus gradus.	Pater, aut frater Viri
Neptis fœminæ.	Secundus gradus.	Nepos Viri
Proneptis fœminæ.	Tertius gradus.	Pronepos Viri
Abneptis fœminæ.	Quartus gradus.	Abnepos Viri.

In hac quarta figura, vt vides, pro certa regula habendum eſt, quòd affinitas non parit affinitatem, quare hodie inter conſanguineos Viri, & conſanguineos Vxoris nulla eſt affinitas, ſed ſolùm eſt inter conſangui-

ſanguineos Viri, & Vxorem; & inter conſanguineos Vxoris, & Virum. Vnde in quoto gradu conſanguinitatis eſt vir cum ſuis conſanguineis, in eodem gradu affinitatis erit eius Vxor cum ijſdem conſanguineis.

91 Notent ergo pro huiuſmodi impedimentis, quòd ſi aliquis ex contrahentibus poſt contractum matrimonium in facie Eccleſiæ, veniat in notitiam alicuius impedimenti dirimentis ipſi ignoti non poteſt petere, nec reddere debitum ante diſpenſationem, & tunc conſcius impedimenti conſulet doctum Confeſſarium de modo, quo ſe gerere debeat, nam ſi impedimentum fuerit occultum, & diſpenſatio ſolùm ſit obtenta in foro conſcientiæ, non eſt neceſſe repetere omnes ceremonias aliàs factas in facie Eccleſiæ, ſed ſufficit nouus contrahentium conſenſus ſigno externo expreſſus, ſi verò fuerit publicũ, & diſpenſatio publica per forũ externũ, tùnc deberet iterum celebrari matrimonium coram Parocho, & teſtibus, & alijs ſolemnitatibus. Propterea ſi Parochus, aut alius occaſione confeſſionis cognoſcat pœnitentem contraxiſſe bona fide, & cum impedimento dirimente, ſi prudenter ſperet profuturum moneat, ſi verò putet ſe nihil profecturum propter difficultatem circumſtantiarum monendo de impedimento, non debet monere, ſed illum in

ſua

ſua bona fide relinquere, ſi autem mala fide contraxit omninò moneat, & ſtudio adhibito conſcientiæ illius prouideat. Præterea contra contrahentes cum impedimento ſciant quòd in Clementina habetur, eos, qui ſcienter in gradibus conſanguinitatis, & affinitatis conſtitutione Canonica interdictis, aut cum Monialibus cõtrahere matrimonium non verentur, nec non Religioſos, & Moniales, & Clericos in Sacris conſtitutos matrimonium contrahentes excommunicationis ſententiæ ipſo facto decernimus ſubiacere. Verùm hæc conſtitutio meminit ſolùm conſanguinitatis, & affinitatis, vnde pœna excommunicationis non extenditur ad alia impedimenta, nec eſt cenſura reſeruata, ſed omnes Confeſſarij poſſunt ab illa abſoluere. *Clement. vnic. de conſanguin.*

92 Curent etiam omni vigilantia Parochi, ne abſentibus ipſis, & teſtibus contrahentes contrahant matrimonium; neque minis, vi, metu, aut maiorum violentia, & fraude ad matrimonia cogantur, cum certò conſtet huiuſmodi matrimonia eſſe irrita, & inualida, & ex Trident. excommunicationi ſubiacent quicumque quouis modo directè, vel indirectè libertatem matrimonij violare præſumpſerint; Et quamuis matrimonia à filijs familias ex Tridentino ſine conſenſu parentum contracta, ſi aliæ conditiones neceſſariæ intercedant, valida ſint, & parentes irrita face- *Seſſ. 24. cap. 9.* *Seſſ. 24. Cap. 1.*

re non possunt, cum supponantur libero contrahentium consensu, nihilhominus certum est, filios familias grauiter pecr care, si inuitis rationabiliter parentibus, vel eorum consensu non requisito matrimonium contrahant, nisi isti, vel tutores, vel alij, quibus filij familias subsunt honestam, & Christianam libertatem in matrimonio contrahendo impedire vellent; ideò ex iustissimis causis, & vt inconuenientibus, immò fraudibus occurramus, sæpè enim ex matrimonijs sine parentum consensu, aut ipsis contradicentibus,& inuitis, dissidia, opprobria, ac etiam duella,plæraque alia mala, & scandala oriri solent,precipimus omnibus Parochis, aut alijs, vt eos, quos probabiliter sciuerint velle modo, vt supra, contrahere,hortentur, & moneant, nè inscijs, aut inuitis parentibus, denunciationes haberi, aut matrimonio iungi velint, quòd si à proposito dimouere eos nequeant, denunciationes non incipiant, sed de ea re nos certiores reddant, vt ipsa sedulò perpensa, quid sit agẽdum maturè deliberemus,si secùs fecerint sententiæ suspensionis ab ordinibus,& alijs pœnis nostro arbitrio imponendis subijcientur.

93. Quantùm verò ad denunciationes spectat semper præmittendas esse vtroque sponso petente, & inter Missarum solemnia per tres continuos dies festiuos ordi-

namus;

namus; & si ijs non præmissis aliquos matrimonio Parochi, aut Rectores copulauerint, pœnæ vncearum quadraginta subiaceant, si verò inscij per fraudem à sponsis interuenire coguntur, eandem pœnam ipsi sponsi sustinebunt, & insuper carceris, aliasque arbitrio nostro infligendas: si verò peractis denunciationibus intra quatuor menses non contraxerint, non valeant sine nouis denunciationibus coniungi ex Concilio Rauennatensi 2. approbato à S. Congreg. Concil. Trident. arbitrium tamen apud Episcopum remanet, ideoque nos consulant.

94 Inter vltimam denunciationem, & contractionem matrimonij per verba de præsenti intercedat spatium saltem viginti quatuor horarum, nisi aliter nobis, vel Vicario Generali expedire visum fuerit. Curentque Parochi ante denunciationes instruere de rebus fidei contrahentes; quòd si ex nostra licentia, vel aliqua graui, & vrgente necessitate denunciationes ante matrimonium non fiant, etiam iam contracto matrimonio ante illius consummationem perfici necesse est in Ecclesia, nisi Ordinarius aliter iudicauerit, quod illius prudentiæ, & iudicio Sancta Synodus Tridentina relinquit.

95 Mandamus insuper, vt priusquam ad denunciation s deueniat Parochus, siuè per se, siuè per Cappellanum ad locum

habitationis contrahentium veniens de ipsorum domicilio cognoscat, & ad hoc eiusdem viciniæ duos cognitos, & probatos viros adhibeat in testes, eorumque nomina, & cognomina, ac testimonium in scriptis redacta retineat. Si verò sub duplici paretia domicilium habeant contrahentes, ab vtroque Parocho sunt denunciationes præmittendæ, & ab altero, qui eos coniungere debet exquiratur fides alterius Parochi nullum allatum esse impedimentum.

96 Quicumque Parochus, siue Rector tàm in Vrbe, quàm extrà bannis,& denunciationibus factis, si nullum appareat impedimentum inter volentes contrahere, de non inuento impedimento certiorem faciat nostrum Vicarium Generalem, cui ipse licentiam contrahendi apud acta nostræ M. C. Episcopalis registratam concedat, sine qua nullus copulare, & coniungere in matrimonium præsumat, si pœnam suspensionis ab officio per annum, & etiã pœnas nostro arbitrio reseruatas voluerit euitare.

97 Si verò ex vna, vel pluribus denunciationibus aliquod deprehendatur Canonicum impedimentum, quod futuro obstare videtur matrimonio, etiam si semiplenè, & per vnum testem sit probatum, vlteriùs progredi Parocho prohibemus, sed ad nos causam transmittat, vt quod ex iusti-

iustitia fieri debeat, re accuratiùs perspecta, decernamus. Caueant autem omnes nè impedimenta falsa malitiosè denuncient sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, præter vnius anni carcerem, & expensarum refectionem.

98 Quando non aliter, quàm per testes, vt potè ex remotis regionibus, vel vagi sunt contrahentes, vel alter eorum, probari possit nullum adesse Canonicum impedimentum; Nullus Parochorum testes examinare poterit, sed hoc in nostra Episcopali Curia præstandum erit, & in eorumdem testium interrogatione, ac cum ijs, qui ad secundas nuptias transire cupiunt, quando extra Prouinciam, vel Regnum, vel in dissitis regionibus alterum coniugum decessisse asseritur à superstite, forma constituta à Clemente X. videatur, quæ talis est.

INSTRVCTIO CLEMENTIS PAPÆ X. Pro examine Testium, qui inducuntur pro contrahendis Matrimonijs. Die 21. Augusti 1670.

99 1 *IN primis Testis moneatur de grauitate in hoc præsertim negotio pertimescendi, in quo diuina simul, & humana Maiestas læditur, ob rei, de qua tractatur importantiam, & grauitatem, & quòd imminet pœna triremium, & fustigationis deponenti falsum.*

2 In-

2 Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio, & habitatione.

3 An sit Ciuis, vel exterus; & quatenùs sit exterus à quanto tempore est in loco, in quo testis ipse deponit.

4 An ad examen accesserit spontè, vel requisitus. Si dixerit accessisse spontè à nemine requisitum, dimittatur, quia præsumitur mendax; Si verò dixerit accessisse requisitum; Interrogetur à quo, vel à quibus, vbi, quando, quomodò, coram quibus, & quoties fuerit requisitus, & an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

5 Interrogetur, an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum à contrahere volentibus, vel ab allio ipsorum nomine.

6 Interrogetur an cognoscat ipsos contrahere volentes, & à quanto tempore, in quo loco, qua occasione, & cuius qualitatis, vel conditionis existant. Si responderit negatiuè, Testis dimittatur. Si verò affirmatiuè.

7 Interrogetur an contrahere volentes sint Ciues, vel exteri. Si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras Ordinarij ipsorum contrahere volentium doceatur de eorum libero statu, de eo tempore, quo permanserunt in sua Ciuitate, vel Diœcesi. Ad probandum verò eorumdem contrahere volentium statum liberum prò reliquo temporis spatio, scilicet vsque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur testes idonei,

nei, qui legitimè, & concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, & reddant sufficientem rationem causæ eorum scientiæ, absque eo quòd teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

8 *Si verò responderit contrahere volentes esse Ciues.*

9 *Interrogetur sub qua Parochia hactenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de præsenti.*

Itèm an ipse Testis sciat, aliquem ex prædictis contrahere volentibus quãdoque habuisse Vxorem, vel Maritum, aut professum fuisse in aliqua Religione approbata, vel suscepisse aliquem ex Ordinibus Sacris, Subdiaconatum scilicet, Diaconatum, vel Presbyteratum, vel habere aliud impedimentum, ex quo non possit contrahi matrimonium.

Si verò Testis responderit non habuisse vxorem, vel maritum, neque aliud impedimentum vt supra.

10 *Interrogetur de causa scientiæ, & an sit possibile, quòd aliquis ex illis habuerit vxorem, vel maritum, aut aliud impedimentum, &c. & quod ipse Testis nesciat.*

Si responderit affirmatiuè supersedeatur, nisi ex alijs testibus probetur, concludenter non habuisse vxorem, vel maritum, neque vllum aliud impedimentum, &c.

Si verò responderit negatiuè;

11 *Interrogetur de causa scientiæ, ex qua deindè*

deindè iudex colligere poterit, an Testi sit danda fides.

Si responderit contrahere volentes habuisse uxorem, vel maritum, sed esse mortuos.

12 *Interrogetur de loco, & tempore, quo sunt mortui, & quomodo ipse Testis sciat fuisse Coniuges, & tunc esse mortuos. Et si respondeat mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa Ecclesia, vel occasione militiæ sepultos fuisse à militibus, non detur licentia contrahendi, nisi priùs recepto testimonio authentico à Rectore hospitalis, in quo prædicti prædecesserunt, vel à Rectore Ecclesiæ, in qua humata fuerunt eorum cadauera, vel si fieri potest à Duce illius cohortis, in qua descriptus erat miles. Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, non intendimus excludere alias probationes, quæ de Iure communi possunt admitti, dummodò sint legitimæ, & sufficientes.*

13 *Interrogetur an post mortem dicti coniugis defuncti aliquis ex prædictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota.*

Si responderit negatiuè.

14 *Interrogetur an esse possit, quòd aliquis ex illis transierit ad secunda vota, absque eo quòd ipse Testis sciat.*

Si responderit affirmatiuè, supersedeatur in licentia, donec producantur Testes, per quos negatiua coarctetur concludenter.

Si verò negatiuè.

15 *Interrogetur de causa scientiæ, qua per-*

pensa

pensa Iudex poterit iudicare, an sit concedenda licentia, vel ne.

Si contrahentes sunt vagi, non concedatur licentia contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum esse liberos, & in alijs seruata forma Concilij Tridentini in Cap. multi Sess. 24. Fides, aliaque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo, & legalitate Episcopi Ordinarij, & recognita saltem per Testes, qui habeant notam manum, & Sigillum, & attentè consideretur, quòd fides, seu testimonia benè, & concludenter identificent personas, de quibus agitur.

Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei, quàm extranei, quia præsumuntur meliùs informati, & Ciues magis, quàm exteri. Nec admittantur homines vagi, & milites, nisi data causa, & maturo consilio; & Notarius exactè describat personam Testis, quem si cognoscit, vtatur clausula (mihi benè cognitus) sin minùs examen non recipiat, nisi vnà cum persona Testis aliqua alia compareat cognita Notario, & quæ attestetur de nomine, & cognomine ipsius Testis, nec non de idoneitate eiusdem ad testimonium ferendum. Et huiusmodi examinibus debet interesse Vicarius Generalis Episcopi, vel aliqua alia persona insignis, & idonea ab Episcopo specialiter deputanda, aliàs puniatur Notarius arbitrio Ordinarij, qui quidem Ordinarius in tali casu non per-

mittat fieri publicationes. Dat. Romæ die qua supra.

100 Ideò, vt conformes reddamur præfato Decreto precipimus omnibus, & singulis Parochis, aut Rectoribus nostræ Diæcesis, vt prædictam obseruent, & obseruari faciant instructionem, & pro matrimonijs contrahendis, cum persona alterius Diæcesis, siuè sit extera, siuè peregrina, aut vaga, vel quæ aliundè originem habeat, quantumcumque in nostra Diæcesi diuturnum domicilium fixerit, non faciant publicationes in eorum Ecclesijs, etiam si proprij Parochi fides præsentetur, nisi certiorato Ordinario, à quo, vel eius Generali Vicario priùs teneantur authenticam reportare huiusmodi vitiatam non esse, sed eidem fidem præstari posse, & quòd pro tali matrimonio fuerunt examinati Testes in eorum Tribunali, qui probent statum liberum contrahere volentium; & quòd à Nobis licentia expressa, antequàm contrahant, impetretur; contrauenientes autem his mandatis seuerè punientur.

101 *Si* inter contractum matrimonij per verba de presenti, & nuptiales benedictiones (cum aliquibus per nos dispensatum fuerit ex aliqua vrgente causa,) aliquod intercurrere tempus contigerit, injungimus ipsis Sponsis, prout in anteacta Synodo iniunctum erat, nè in eadem domo habitare queant; Cum indecens sit eos

ante-

antecedenter ad tales benedictiones matrimonio vacare, sed infra quindecim dies illas petant. Si verò Sponsi de futuro antequam per verba de præsenti contrahant, omni Dei timore postposito in eadem domo cohabitare publicè, vel secretè, vel matrimonium consummasse depræhendentur, sciant pœna carceris, & vncearum viginti esse puniendos; Quare Parochos, & Vicarios Foraneos monemus, vt inuigilēt nè Sponsi de futuro domum Sponsæ ingrediantur, nisi cum publicus ingressus palàm ad recipiendum eius consensum consueuit permitti, vt omne castitatis periculum amputetur, experientia enim compertum est, sæpiùs contractum sponsalium ex varijs superuenientibus causis, siuè veris, siuè prætensis, aut dissimulatis rationibus dissolui, ita vt præter peccata commissa, Sponsa læsa, delusa, & infamata remaneat, immò, & alia maiora mala aliquando oriuntur, & si aliquam nouerint periculosam, assuetam, vel scandalosam inter eos conuersationem nos statim certiores reddere curent, vt opportunum adhibeamus remedium.

102 In nuptialibus solemnitatibus obseruent Parochi rubricas noui Missalis, & post Missam illos benedicant, si ambo, vel saltem mulier primò coniugium ineat iuxtà huius Regni ritum, & approbatam consuetudinem, nullatenùs tamen si ambo sint bigami.

Cap. Virtutem & ibi glos. de 2. nuptijs.

103 Prohibemus autem Parochis, nè alterius Paretiæ nouis coniugibus Sacerdotalem impendere benedictionem audeant, sub pœna nostro arbitrio benè visa, præter pœnam suspensionis à Concilio Tridentino ritè iure ipso statutam.

104 Si contigerit, aliquem coniugum spiritu diabolico seductum viuente proprio coniuge ad secundas nuptias transire, sciat, pœnis in hac antiqua Diæcesana Synodo fore puniendum, nempè publicæ fustigationis, & si vir fuerit ad remigandum; si verò mulier ad carceres per quinquennium, vel alterius pro qualitate criminis sententiam sustinebit.

105 Qui ex alienis regionibus commigrant, secum fœminas ducentes, & prætenso vxoris titulo in nostra Diæcesi habitare volunt, vel authenticis scripturis, vel testibus fide dignis constantiam matrimonij probare teneantur, aliter, vel expellendi, vel ad nos remittendi.

106 Et si ad matrimonium requiratur necessariò mutuus consensus de præsenti coram Parocho, & testibus aliquo externo signo expressus, saltem per Procuratorem, & ad sponsalia quæ differunt à matrimonio, & illud solent præcedere, licèt non de necessitate requiratur mutua promissio de futuro, cum scilicet alter alteri promittit se ducturum illam in vxorem, & hæc illum in virum, nihilhominùs in ipsis spon-

ſponſalibus de futuro diſſoluendis nullus ſe intrudere audeat, ſed in noſtra Magna Curia cauſa eſt cognoſcenda, vt impedimento dirimenti publicæ honeſtatis ex validis ſponſalibus orto maturè conſulatur, vt conſtet, vel non adfuiſſe, vel non fuiſſe legitimum.

107 Caueat Parochus impuberes matrimonio copulare, nempè mulieres ante duodecimum annum, Adoleſcentes verò ante decimum quartum, & de eorum legitima ætate diligenter perquirat: nec nõ fidei rudimentis non ſatis inſtructos: vt ſcilicet præcepta Decalogi, & Eccleſiæ; Symbolum Apoſtolorum, Salutationem Angelicam, & Orationem Dominicalem neſcientes à matrimonio contrahendo repellat, vſquequò plenè inſtructi redierint, nec ſine duorum, vel trium teſtium præſentia matrimonio coniungere audeat ſub pœna arbitrio noſtro grauiter inferenda. *Conc. Trid. Seſſ. 24. de reform. matrim. c. 1.*

108 Iniungimus inſuper Parochis ſub pœna ſuſpenſionis noſtro arbitrio protrahendæ, nè tempore vetito, quo nuptiæ celebrari nequeunt, nempè ab Aduentu vſque ad Epiphaniam, & Quadrageſimali tempore vſque ad octauam Paſchæ alicuius matrimonio aſſiſtant ſine noſtra, aut noſtri Vicarij Generalis expreſſa licentia, & tunc fiet ſine ſolemnitatibus, benedictionibus, & pompa, ſimiliter eiſdem iubemus, nè in priuatis domibus abſque

expreſ-

expressa nostra licentia, vel Vicarij Generalis, sed in Ecclesia matrimonio assistant. Nunquam tamen in Ecclesia Monialium.

109 Curet item Parochus habere librum, in quo coniugum, ac testium nomina, diem mensem, & annum, quo matrimonio coniunguntur, & locum, & cui licentiam assistendi concessit; quam tamen nonnisi habentibus, à nobis facultatem in scriptis Sacramenta ministrandi concedat; describat, & diligenter custodiat.

Trid. ibid.

110 Prohibemus tandem coniugibus sub poena excommunicationis latæ sententiæ, ne ipsi sua propria authoritate separentur, aut diuortium faciant sine nostra facultate in scriptis obtenta; & si fortè aliqui legitimo matrimonio coniuncti; nullo interposito Ecclesiæ iudicio contra matrimonij legitima, & Sacrosancta Iura separatim habitare, & disiunctim domibus ob aliquam dissensionem, vel inimicitiam præsumant, ad cohabitandum omninò cogantur infrà mensem à publicatione Synodi computandum, quòd si renuant, ad nos deferatur per Parochos, aut Vicarios Foraneos, vel testes Synodales, vt sub eisdem pœnis, vt supra, carceribus, alijsque remedijs tàm perniciosum Christianæ Reipublicæ malum conuellatur.

SESSIO

SESSIO III.

DE MISSÆ SACRIFICIO alijsque ad Ecclesiam spectantibus.

DECRETVM I.

DE PRÆPARATIONE, ET ALIIS à Sacerdote in Missa seruandis.

AVgustissimo Missæ Sacrificio, quo veteris testamenti hostias breui compendio Saluator noster conclusit, suæque Passionis memoria resoluitur, & cruenti Sacrificij, quod ipse in ara Crucis obtulit Deo Patri, vices hæc incruenta victima gerit, nullum sanè aliud opus à Christi Fidelibus sanctiùs, ac diuiniùs tractari potest. Hinc quanta cordis mundities, ac puritate, & exterioris deuotionis, & pietatis specie peragendum sit, cui Angeli tremebundi intersunt, quisque dignoscere potest. Accedere igitur debet Sacerdos magna cum reuerentia, & timore; atque conscientiæ discussione peracta; macu-

Trid. Sess. 22. de obseru. & vitandis in celebr. Missa.

maculas, si quas inuenerit, Sacro Pœnitentiæ lauacro detergat; deindè ad Preces, Psalmos, & Orationes pro opportunitate temporis recitandas, pro vt in rubricis Missalis, se recolligat; deindè manus lauet, & Sacris induat se vestibus, recitans in singulis consuetas Orationes, non intereà alios alloquens, nec loquentibus aures præbens. Missam itèm prælegat, vt in Altari non erret, neque hæreat. E sacello egrediens, Clerico præcedente, deuotè, & modestè, oculis demissis, neminem salutans, nisi cùm antè Episcopum transire oportet, cui caput inclinet, incedat; Clericali coopertus integumento, quod non auferendum est, nisi in casu, quo antè Altare, vbi expositum est, vel eleuatur Corpus Domini, transeundum esset: Vbi quousque Calicis consecratio perficiatur, genuflectat: antè Altare verò, vbi occlusum reconditur Corpus Christi solùm dexterum flectat genu capite velato.

Curent Sacerdotes, nè ritus alios, aut ceremonias, & preces in Missarum celebratione adhibeant præter eas, quæ in Missali Romano ex Decreto Sacri Concilij Tridentini restituto, iussu B. Pij V. reddito, & Clementis VIII. primùm, deindè Vrbani VIII. authoritate recognito, ac reformato, continentur. Quarè precipimus, vt nemo Sacerdotio initiatus, ad sacrum peragendum admittatur, nisi sacris riti-

bus

bus plenè instructus, & à Magistro Ceremoniarum examinatus, à nobis licentiam in scriptis obtinuerit, sub pœna vncearum duarum; Qui si deindè in graues inciderit defectus, suspensione per tres menses plectetur. Clericos verò Peregrinos tàm Sœculares, quàm Regulares, sine litteris commendatitijs, seù dimissorijs suorum Superiorum ad Diuina celebranda Ecclesiarum Rectores non admittant sub pœna arbitrio nostro infligenda. Si verò prædictas habuerint litteras, certior fiat Vicarius Generalis, vt illas recognoscat. *Trid. de Clericis peregr. Sess. 23. c. 16.*

3 Curet Parochus, vèl curam Ecclesiæ habens, nè vllus sit rumor, aut deambulatio in Ecclesia, dùm Missa celebratur; sicut nec in Sacristia, dùm ad Missas celebrandas Sacris induuntur vestibus Sacerdotes: & nè Missæ celebrentur in Altaribus tàm propinquis eodem tempore, vt vnus alterum impediat celebrantem. Quæ palàm pronuncianda sunt, distinctè, & clarè; quæ verò secretò, submissè dicantur, nec tàm celeritèr, nequè tardiùs, quàm par est; neque pileolo, & annulo in Missæ celebratione quis vtatur, vt sæpè Sacra Congregatio Rituum decreuit.

4 In eleuatione Corporis, & Sanguinis Christi campana pulsetur; & in Missa Maiori nouem ictibus campana maior, vt qui in plateis, & agris sunt ad recolendum tàm altum mysterium excitentur, & ità

faciendum Parochus admoneat.

5 Deniquè à Sacerdote in Sacriſtiam reuerſo debitæ exoluantur gratiæ; ac ſolitæ preces recitentur.

DECRETVM II.

DE

LOCO, TEMPORE, ATQVE NITORE, & munditia ſuppellectilis ad Miſſam neceſſarij.

6 Miſſam, nec antè Auroram, nec poſt meridiem celebrare, quiſque audeat; nec in domibus, ſed in Eccleſia, niſi ex noſtra expreſſa facultate iuxtà formam Concilij Tridentini conceſſa. In ruralibus Eccleſijs, niſi ſint benedictæ, & viſitatæ, ità vt omnia neceſſaria adeſſe nobis conſtet, nec Miſſa celebretur; vnde noſtra requiratur licentia. Altaria ſint ex lapidibus conſtructa, & conſecrata, & Imaginibus decentèr ornata. Et ſi contigerit in Altari non conſecrato Sacerdotem celebraturum, adhibeat aram marmoream, quam Altare portatile vocant, conſecratam, quæ tantæ ſit longitudinis, & latitudinis, vt Calix, & hoſtia commodè in ea collocari poſſint.

Seſſ. 22. c. Nullus de conſecr. diſt. 1.

7 Veſtimenta, & alia ornamenta ad Miſ-

Missam necessaria sint benedicta, decentissima, & mundissima; non lacera; quarè cùm lacerata fuerint comburantur, & cineres in sacrario reponantur. Corporalia; & Purificatoria à Sœcularibus non tangantur, sed cum lauanda erunt, id fiat ab aliquo in Sacris constituto.

8 Vestes coloris sint apti Festiuitati diei. Calix sit argenteus cum Patena, quæ à parte intùs, auro sint lita, licèt pes Calicis alterius possit esse metalli. In medio Altaris Crux collocetur, & duo ad minùs sint luminaria accensa ex cera; non verò in aliquo determinato numero, qui superstitionem redolère possit. Itèm campanula, vrceoli, & linteolus ad abstergendas manus; itemquæ Tabellæ pro Gloria, & Credo, & Offertorio; curetque Sacrista, vt aliquantulùm ab Altari distent, & deuotè assistant, qui Missæ Sacrificio intersunt.

9 Nemo absque habitu, & tonsura, nec vllo armorum genere armatus celebrare audeat, sub pœna carceris, & vncearum quatuor. Itèm in Dominicis diebus, & festis duplicibus Missam Defunctorum non recitent, sed pro Defunctis, si tenentur, Sancti Missam applicent. Sciantque contrarium facientes, mortalem incurrere noxam, vt Decreto Alexandri VII. constat; nec Missas aliàs à Sacra Rituum Congregatione prohibitas.

10 Sacristæ, alijque inferiores ministri, in ornandis Presbyteris Sacrum peracturis, diligentèr, & maturè assistant, & cum Sacrosancto inseruiunt Missæ Sacrificio, Sacerdotem in Altari non relinquant, nec vnus duabus inseruiat Missis, sed semper deuotè orantes, genibus flexis, & manibus complicatis, suum Angelicum gerant officium; non oculis vagis, nec immodestè. Insupèr animi puritatem habere studeant, quæ ijs, qui Angelorum principale gerunt munus conueniens esse debet.

11 Nullus, nèc Regularis, nèc Sæcularis Sacerdos accedat ad Missam in Ecclesijs Monialium celebrandam, similitèr nec in puellarum conseruatorijs sine nostra licentia in Vrbe, & extrà eam sine Vicarij Foranei, sub pœna carceris, tàm Sacerdoti, quàm Cappellano id permittenti, & insupèr aliarum nostro arbitrio infligendarum. Cùm autem quis ad earum Ecclesiam celebraturus accedit, poterit Missam illarum Officio conformare; sicut etiam id præstare poterunt Sœculares Sacerdotes in Ecclesijs Regularium diebus festis, quæ ab eis celebrantur, Sacrum peracturi; proprium tamen seruando Ritum.

DE-

DECRETVM III.

DE

AVARITIA IN MISSA VITANDA.

12 QVoniam omnis à Sacris abesse debet Simoniæ species, & cupiditas, & tantùm pro substentatione Ministrorum aliquod accipi potest stipendium, vt qui Altari deseruit, de Altari viuat; ideò prohibemus importunas exactiones eleemosinarum, quæ in Missis nouis fieri solebant. Vndè Sacris induti vestibus in medio Altaris, solùm possint in fine sacrificij manus osculari. A conuiuijs eo die, ludis, Choreis, saltationibus, alijsque prophanis, etiam in domo particulari, sub pœna duarum vncearum prorsùs abstineat, sed potiùs gratijs Deo exoluendis pro tanto sibi collato beneficio vacet noui muneris Deo obstrictus vinculo.

Conc. Trid. Sess. 22. in Decr. Missæ.

13 Itèm Sacri Concilij Decretis inhærentes, quibus monemur, vt pias defunctorum voluntates defraudari non patiamur, & fas non est, vt viuorum beneficio priuentur, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ omnibus Sacerdotibus cuiuscumque sint gradus, & dignitatis precipimus, nè stipendium pro Missis dicen-

dis

dis accipere præsumant, si antecedentibus obligationibus, vel alia ex causa ad eas satisfaciendas impediantur.

14 Vt insuper extorsiones in Missarum celebratione vitentur, omnes contenti sint pretio vnius tareni iamdudùm in hac Diœcesi taxato, nisi spontè aliquid ampliùs, deuotio fidelium supererogare velit, & huiusmodi pretium taxamus, authoritate nobis à Tridentino concessa pro Fidelium Legatis, de quibus mens legantis non constat quot Missas celebrari voluerit, dùm tamèn oneris perpetui non existant. In his enim taxandis accuratiùs, cùm contigerit, re perpensa, & Summorum Pontificum Decreta præ oculis habentes, quid statuendum sit, decernemus, quarè ad nos recursum habere debent.

15 Cœterùm si Testator exprimat quot Missas celebrari cupiat; Sacerdotem acceptantem onus ex Iustitia ad illud implendum teneri; nec si sit exiguum stipendium, posse minores, quàm promisit, nisi à Sacra Congregatione reductio impetretur, ipsius Sacræ Congregationis, & Summorum Pontificum instruimur Decretis Itèm eleemosinas manuales recipiens, si per se ipsum celebrare nequeat, sed alteri id muneris commiserit, vt omnis turpis lucri species absit, integram, & indiminutam ei præbeat eleemosinam, nulla sibi parte retenta.

Vrb.VIII.Decr. de celebr. miss.incip.cum sæpè 21. Iunij 1625.

Alex.VII.24. Septemb.1665

16 Nec

16 Nec pro eadem Missa pluribus applicanda, plura accipere potest stipendia; Iustitiæ namque, ac fidelitati iniuriam infert. Nec duplex stipendium eo prætextu accipere valeat, quòd fructum specialissimum, & partem sibi debitam alteri applicando, suo muneri, & petentis intentioni satisfaciat: hæc enim omnia, vt potè scandalosa, contrà vsum Ecclesiæ, Iustitiæ, & fidelitati aduersa, à pluribus Pontificum Decretis, & nouissimè ab Alexandro VII. sunt damnata. *Die 18. Martij 1666.*

17 Qui onus recipit in designato Altari, vèl Cappella celebrandi, ibidem, & non alibi tenetur Sacrificium offerre, alitèr sciat oneri imposito minimè satisfacere.

DECRETVM IV.

DE HORIS CANONICIS.

18 VT fumus aromatum, quæ sunt Orationes Sanctorum, ascendat in conspectu Domini de manu Angeli, oratio debet à puritate cordis emanare; *Ps. 33.* oculi namque Domini super iustos: Nec vocetenùs Deum orare, nisi corde clamemus, quidquam prodest, quare Propheta Regius aiebat: tibi dixit cor meum:& Apo- *Ps. 26.* stolus

ſtolus 1. Chor. 14. Pſallam ſpiritu, pſallam mente: omnes igitur, qui ad horas Canonicas tenentur, caueant, nè de eis illud Eſaiæ 29. verificetur: Populus hic labijs me honorat, cor autèm eorum longè eſt à me.

19 Omnes in Sacris Ordinibus conſtituti, Religioſi viri profeſſi, & Moniales iuxtà inſtituta, vèl conſuetudines ſuarum Religionum, ac etiam habentes beneficium Eccleſiaſticum, ſub peccato mortali tenentur Diuinum Officium, ſeù ſeptem horas Canonicas, ſcilicèt Matutinum cum Laudibus, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperas, & Completorium, pro vt continentur in Breuiario Romano, aut alio priuilegiato, recitare; poſſunt tamen Matutinum, & Laudes ſubſequentis diei poſt completorium antecedentis diei, & inchoari tribus horis antè occaſum Solis, reliquæ horæ non poſſunt dici, niſi poſt mediam noctem: Prima circà Auroram, Tertia, Sexta, & Nona antè meridiem, Veſpere, & Completorium poſt meridiem, ſed non ſeruare exactè hunc ordinem, dummodò non fiat ex contemptu, non erit pluſquàm veniale, ſi ſine cauſa, & immoderatè fiat.

20 Huiuſmodi recitatio debet eſſe vocalis, ita vt voce exprimantur diſtinctè verba, cum deuotione, & attentione, ſingulis diebus; omiſſio vnius horæ, aut partis notabilis, eſt peccatum læthale; datur tamen paruitas materiæ, & excuſantur à

reci-

recitatione horarum ægroti, qui iudicio Medicorum, aut Superioris, aut prudentis viri, immò ipsius infirmi, saltèm moralitèr impotentes ad illud reputantur. Similitèr, si aliquo opere necessario Charitatis, aut Iustitiæ essent aliquo die omninò impediti, aut si non haberent Breuiarium sine culpa, nec memoritèr scirent, aut alia simili, & rationabili causa.

21 Præceptum recitandi Officium pro Beneficiarijs incipit à die possessionis beneficij, siuè actu percipiant fructus, siuè habeant spem percipiendi, nisi fructus sint valdè exigui; & licèt non recitando in primis sex mensibus peccent, & non teneantur ad fructuum restitutionem; elapsis tamèn sex mensibus, si non recitent, tenentur pro ratâ omissionis, & fructuum beneficij, attenta, eius qualitate, iudicio docti, & prudentis viri. Pro Subdiaconis incipit obligatio recitandi Diuinum Officium ab hora illius diei inclusiuè, quo recipit Subdiaconatum.

22 In omnibus igitur Ecclesijs, vbi recitatur ex obligatione Diuinum Officium, recitetur debitis horis, pro vt in rubricis, &c, iuxtà consuetudinem suarum Ecclesiarum. In Parochialibus verò totius nostræ Diœcesis, prætèr Missam cantatam diebus Dominicis, & festis, cantetur etiam Vesperę. Sint in Choro deuoti, non risui, non vaniloquio, non libris legendis, sed Sacræ lec-

tioni intenti; à principio assistant, & vsquè ad finem perseuerent cum omni animi puritate: & vt hoc seruetur faciliùs, Sæculares esse in Choro, & loca Ecclesiasticorum occupare, quæ Diuino celebrando mysterio vacant, nullatenùs permittant. Accedant cum superpelliceo, vèl insignibus pro ratione dignitatis, & officij: alternatim canant, deuotè, reuerentèr, distinctè; Sacras Ceremonias seruent; & vniformes sint in sedendo, in stando, in genuflectendo, capite discooperiendo, & alijs ceremonijs: quod vt seruetur, precipimus, vt Ceremoniale Episcoporum fel. rec. Clementis VIII. iussu editum, & Innocentij X. authoritate recognitum, vnaquæque Parochialis Ecclesia habeat: & omnia, quæ in eo continentur circà ritus, & ceremonias celebrandi Missas, Vesperas, & alia Diuina Officia, vèl alias functiones obseruent, & Parochi inuigilent, vt obseruentur, & Clerici de eis instruantur per aliquem ab eis Sacerdotem designandum.

23 Pulsetur campana omnium Parochialium Ecclesiarum in Aurora, meridie, & post occasum solis, vt salutetur Beata Virgo Maria ab omnibus fidelibus; prima verò hora post occasum solis transacta, iterum campana pulsabitur, quo signo recordabuntur fideles pro Defunctis orare.

24 Quandò pro huiusmodi salutationibus, & Oratione Defunctorum pulsandæ

erunt campanæ nullæ Ecclesiarum tàm Sæcularium, quàm Regularium cuiuscumque sint Ordinis, Matricem Ecclesiam audeat præuenire, sed eam veluti earum Matrem sequatur, vt iam consuetum est, & ordinatum in præcedenti Synodo. Quæ conformitas etiam obseruari debet in apparatu vestimentorum, Officio Diuino recitando, & alijs similibus, quantùm fieri potest.

DECRETVM V.

DE PROCESSIONIBVS ECCLESIASTICIS.

25 PRocessionum vsus piè in Ecclesia inductus, ad Diuinam opem implorandam, ad gratias eidem exoluendas, vèl ad alicuius Sancti venerationem, vt ea, qua par est Religione retineatur, illud in primis precipimus, vt nullæ aliæ preces, ritus, aut ceremoniæ adhibeantur, præter ea, quæ in Rituali Romano proponuntur.

26 Ad publicas processiones per edicta vocati omnes Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, alijque Clerici accedere teneantur, loco, & tempore designato cum habitu talari, superpelliceo, tonsura, atque bireto Clericali induti; in incessu modestè, &

deuotè se gerant bini, & bini sub sua Cruce; processionis ordinem non interrumpant, aut deserant, sed omnes à vaniloquio, risu, confabulationibus, præsertim cum Sæcularibus, & omni alio actu indecenti se abstinentes, eodem ordine ad illam vndè cœpta est processio, regrediantur.

27 Similitèr omnes Confratres sodalitatum, ac Confraternitatum more solito cum vexillo, & Crucibus, ac velata facie per saccum, sub pœna vnius Vnceæ propriæ Ecclesiæ à contrauentoribus soluendæ, exceptis ijs, qui vexillum, intorsitia maiora antè Sanctissimum Crucifixum, aut statuam aliquam gestant, vt videant, vbi pedes figant, ad Cathedralem in Vrbe, siuè ad Plebanam extrà Vrbem, nisi aliud pro rerum occurrentium ratione à nobis fuerit ordinatum, antè processionis inceptionem debent peruenire, ità vt hora condicta prompti sint antè ianuam Maioris Ecclesiæ suis locis ordinatè, & processionalitèr incedere, sub pœna vncearum duarum à suis Superioribus soluendarum.

28 Exempti omnes ex Tridentino tàm Clerici Sæculares, quàm Regulares, quicumque etiàm Monachi ad publicas Processiones vocati, possunt ab Episcopo ad illas ad accedendum compelli; ideò ordinamus, quòd omnes Regulares cum sua Cruce, & duobus ad minùs cereis, proces- *Sess. 25. cap. 13*

sioni-

sionibus, quibus interesse solent,& consueuerunt, interueniant, aliàs auctoritate Tridentini Iuris remedijs compellentur.

29 Si aliquæ ex prædictis sodalitatibus, aut Confraternitatibus serò accessetint, & per vias processioni se intrudere præsumãt, vltrà pœnam ipso facto amissionis loci in illa dumtaxàt processione, superior, aut qui præest pœnam vnc earum quatuor incurrat, & si aliqua adhuc sub Iudice lis remaneat indecisa, ij, quorum interest, ad nos infrà spatium sex mensium à die publicationis præsentis Synodi computandorum, Iura, rationes, eorumque prætensiones deferant, vt cuique secundùm ordinem Iustitiæ, & pro vt in Domino ad pacem componendam expediens fuerit, tribuatur.

30 In Processionibus, tàm Rogationũ, quàm in die Palmarum, Sancti Marci, Ascensionis Domini, vel quibuslibet alijs fieri consuetis, Reliquiæ Sanctorum deferri possunt, excepta ea, quæ in die, & Octaua Corporis Christi solet fieri, in qua solùm iuxtà morem Romanæ Ecclesiæ Christi Corpus deferatur religioso apparatu, solemni pompa, & magna luminarium multitudine ab omnibus associantibus præmanibus habentibus; hymnos, & Psalmos concinentibus aperto capite veneratum.

31 Vt autèm ordo seruetur, & confusio tollatur, volumus, vt bini incedant,& so-

sodalitates, & Confraternitates, seruata inter ipsos consueta præcedentia. Deinde Regulares iuxtà sui ordinis qualitatem, aut consuetudinem pro vt Iura disponunt; postremò Clerus Sæcularis cum Cruce, hoc ordine; primò Seminarij Alumni, postea Clerici omnium Ecclesiarum in minoribus constituti, deindè Subdiaconi, & Diaconi, quos sequuntur Sacerdotes, intèr quos vltimum locum habent vtriusque Iuris Doctores cum insignibus sericis nigris oblonghis; nouissimi erunt Parochi cum stolis, posteà Choristæ, & Cappellani, post quos, quandò Episcopus interest Processioni, eius Capitaneus, iuxtà peruetustam huius Vrbis consuetudinem, virgam tenens erectam in medio antè Capitulum solus incedit, postremò Canonici, & Dignitates nostræ Cathedralis Ecclesiæ bini etiam pergant simùl cum Vicario Generali: quòd si imparis erunt numeri, vltimus, qui erit Vicarius Generalis, siuè alia Dignitas, aut Canonicus in eius absentia, solus, siuè in dextero, siuè in sinistro latere ad suum arbitrium se ponat; nullus autèm ex Dignitatibus, seù Canonicis à Processionibus publicis sit exemptus, & si Episcopus fuerit presens, si aliquis eorum absque legitima, & rationabili causa non intererit, pœnæ vncearum quatuor subiacebit.

32 Sodalitates, aut Confraternitates,

Pro-

Processiones associantes, dùm in Ecclesijs Processionis finem expectant, eorum Cruces in cornu Epistolæ, non Euangelij sistát, quod pro Cruce Cleri, vèl Parochiali veluti digniori stare non impeditum debet, &c. si huic ordinationi contrauentum fuerit, Confraternitatum, aut Sodalitatum superiores, vèl qui tunc præsunt, pœnas vncearum sex incurrent. Qui verò sacco indutus rixam manibus, aut armis commiserit, in carcerem detrudatur. Si quæ verò controuersia, tàm intèr Sœculares, quàm Regulares, siuè de quouis alio oritetur, ad nostrum Vicarium Generalem in Vrbe, extrà verò ad Vicarium Foraneum statim referatur, vt omnis amputetur scandali occasio, & exorta perturbatio componatur: pro ea vice nullo præiudicio partibus generato; eiecto interim, aut carceri mancipato, qui ordinem perturbauerit, rixarum, iurgiorumq; causam dederit, aut quoquo modo pacem impedire intentauerit. *Conc. Trid. Sess. 25 cap. 13.*

33 Cantoris præcipuè munus erit, quid canendum sit præscribere. Adsint nostræ Curiæ Ministri, vèl alij censores à nobis deputati, qui Clerum, & Populum ordinatè dirigere queant, & vt seorsim à viris incedant mulieres, operam dantes. Itèm fiscalis nomina habeat eorum, quide more, & nostro mandato Processioni interesse debent, vt tàm eos, qui abfuerint, quàm Ordinis præscripti perturbatores, ad nostrum

ſtrum Vicarium Generalem referat, vt contrà inobedientes procedatur.

34 Præter conſuetas huc vſque Proceſſiones, in quolibet noſtræ Diœceſis loco, nouas abſque noſtra in ſcriptis ſpeciali licentia, nemo inſtituere audeat, ſub pœna arbitrio noſtro infligenda. Similitèr nec Regulares extrà Monaſterij ambitum proceſſiones facere præſumant, niſi ſpeciali Priuilegio ſuffulti, & conſuetudine roborati, pro aliquo præcipuo feſto: aliàs interdicti alijſque nobis reſeruatis pœnis ſubiacere ſciant.

Sac. Congreg. 19. May 1614

DECRETVM VI.

DE

SEPVLTVRIS, ET DEFVNCTORVM EXEQVIIS.

35 PIa Mater Eccleſia in humandis mortuorum corporibus ab antiquis Patribus, & Chriſto Domino, ac Apoſtolis antiquum morem accepit, retinuit, & nouis legibus cumulauit; quæ igitur à Paulo V. de exequijs, & funeribus; tàm paruulorum, quàm adultorum in Rituali Romano ſancita ſunt, diligentèr obſeruentur à Parochis, & alijs, quorum intereſt Officium Charitatis, exhibendo in hu-

huiusmodi ferendis, ac sepulchris quiescendis defunctis, sicut Christianæ pietatis obligatio postulat.

36 Cùm autèm ritus processionalitèr associandi cadauera fidelium Defunctorum ab Ecclesia Catholica sit piè, & Religiosè susceptus, ideò Religiosa pompa ad Ecclesiam deferri hortamur, & Parochis in comitatu cum stola, superpelliceo sine galero, & pallio, alijs deuotè concinentibus Psalmos, seruato ordine inter Sœculares, Regulares, Confraternitates, & Sodalitates, vt diximus suprà de processionibus, illa associare iubemus, exceptis Confratribus, Sœcularium Congregationum, qui cadauer non præcedere, sed subsequi debent, non intorshistia, sed paruas candelas præ manibus gestantes.

137 Ea autèm, quæ seruari debent ad extrahendum è domo cadauer, sunt, quòd omnes, qui interuenient processioni defuncti, accedant circà domum, & ædes ipsius, & adueniente Parocho, præstolato priùs eius aduentu, facta domi ab eo aspersione, & benedictione cadaueris, etiám si habitum, cingulum, filiationem, cuiuscumq; Ordinis haberet, vèl terriaria esset, aut tertiarius extrà claustra continuò, & non sub obedientia degens, procedant Confraternitates, aut Sodalitates, & Regulares Clero subsequente, breuiori via, qua potest ad locum, seù Ecclesiam, vbi sepelien-

dum est cadauer. Quòd si adeò erit propinqua, vt ordo funeris seruari nequeat, paulò longiori via ex licentia tamèn dicti Parochi, procedi posse permittimus, vsque ad Ecclesiam quæ si fuerit Regularium Parochus antè fores eiusdem, dando vltimum vale discedat, nisi alia sit consuetudo, & intrà Ecclesiam suam Religiosi illud introducant, funeris cœteros Ritus, & Ceremonias ipsi Regulares perficiendo. Si autèm Ecclesia, vbi associatur cadauer, sit Parochialis, aut Iurisdictioni Episcopi subiecta, Parochus incæpta officia ad finem vsque prosequatur intrà dictam Ecclesiam dimissis, vèl adstantibus Regularibus, vt moris est.

38 Corpora defunctorum regularitèr non sepeliantur antè ortùm, vèl post occasum sòlis, nèc inter Missarum solemnia ad Ecclesiam deferantur: neque antè duodecimam ab obitu horam sepeliantur, vèl è domo extrahantur, ob aliquam tamen iustam, & rationabilem causam à nostro Vicario Generali cognitam, & de eius in Vrbe, & Vicarij Foranei extrà eam, licentia, post sex ad minus, vèl octo horas è domo abduci permittimus, nihilhominus vsque ad duodecimam horam sepeliendi in Ecclesia asseruentur sub pœna vncearum quatuor, si contrarium Parochi permiserint, vèl Rectores Ecclesiarum, in quibus sepeliendi custodiuntur; cum verò, repē-

tina

tina morte correptus aliquis fuerit, viginti quatuor intercurrat horarum spatium antè sepulturam, vt de vera eius morte possit haberi certitudo.

39 Curent Parochi, quibus Ecclesiastica sepultura sit deneganda, putà infidelibus, Iudæis, hæreticis, schismaticis, hæreticorum fautoribus, siuè receptatoribus, vsurarijs manifestis, publicis blasphemis, raptoribus, ijs, qui violentas manus in Clericos iniecerunt, qui necem liberè, & sciētèr sibi intulerunt, qui in duello, & torneamentis decesserunt, qui semèl in anno, aut non confessi, aut tempore Paschali Sacram Communionem non sumpserunt, qui non soluunt, nec restituunt Ecclesiæ decimas, quas soluere, & restituere ei tenentur. Religiosi proprietarij, & generalitèr omnes excommunicati, & interdicti, si in mortis articulo absoluti non sint, vèl nisi pœnitentiæ signum dederint, quòd si aliquis his inquinatus censuris in Ecclesia sepeliri contigerit, cùm ab alijs secerni potest, extrahatur, & Ecclesia, vèl Cœmeterium Sacris Ritibus reconcilietur. Vbi autèm dubius extiterit casus ad Nos consulendos recurrant.

40 In humandis corporibus defunctorum, diligentèr Charitatis Officium, vt Christianæ pietatis exigit debitum, Parochi exequantur, consuetis contenti stipendijs, à pauperibus nihil exigendo, nec acci-

piendo: si verò dubium fuerit, an pauper pro tali effectu debeat existimari, ad nostrum Vicarium Generalem in Vrbe, & ad Plebanum in Diæcesi fiat recursus, qui in incontinenti poterit verbotenus id declarare.

41 Ex luminaribus cereis, quæ defuncti hæredes, & propinqui adhibere voluerint, deducta quarta, vbi tradi consueuit, & soluta, vt moris est, cœtera, quæ supersunt, Ecclesijs, aut Ecclesiasticis, vt solitũ, & consuetum est, relinquantur.

42 Exhumari, vèl transferri de vno Territorio in aliud, aut de vna in aliam Ecclesiam, immò de vno ad alium locum eiusdem Ecclesiæ absque expressa licentia Episcopi omninò prohibemus sub pœna Præsidi Ecclesiæ vncearum decem. Quandò autèm cadauer in Ecclesia cuiuscumque Ordinis priuilegiati loco perpetuæ sepulturæ fuerit traditum, non asportetur ad aliam Ecclesiam, nisi habita priùs à nostro Vicario Generali licentia in scriptis; si verò loco depositi terræ demandatum fuerit, elapso anno nos consulant, vt de Iustitia prouideatur, sub pœnis de Iure infligendis.

43 Quoniam autem pium est Campanas pulsare in obitu fidelium, vt non solùm ad orandum pro mortuis cœteri excitentur, sed etiam se morituros meditentur; Campanas quidèm pulsari volumus, sed

nè

nè nimietas conturbet, ea, quæ in noſtris Edictis precipimus, tàm in die obitus, quàm Quadrageſimo, & Anniuerſario, & etiam ad immoderatos vlulatus coercendos inuiolabilitèr, vt hactenùs iàm conſueuit, obſeruari mandamus ſub pœna nobis benè viſa.

44 Curent deniquè Parochi in libro, quem in ſua Parochia habebunt, Defunctorum ſibi ſubditorum nomina deſcribere, diem, in quo obierunt, & vbi ſepulti iaceant.

45 Pœnas à Sacris Canonibus illatas, etiam excommunicationis contrà illos, qui defunctos exuere, vèl ab illis quidquam ſurripere, aut ex humare quocumque prætextu audent, in memoriam reuocamus.

46 Sepulcra ſub altaribus; aut eorum gradibus, in Choro, vèl Baptiſmalis fontis finibus non excauentur, aliàs ex Bulla Pij V. Eccleſia ipſo facto interdicta declarabitur, eiuſque Rectores pœnis arbitrarijs punientur; & infantium corpuſcula, quorum animas poſt Baptiſmum antè vſum rationis è Sœculo egreſſas, pia Mater Eccleſia ad cœlos euolare teſtatur, in ſepulcro pro illis ſpecialitèr deputato iuxtà vetuſtam, & laudabilem conſuetudinem, à Rituali Romano approbatam, deponenda eſſe, admonemus. Eccleſiaſticorumq; & præcipuè Sacerdotum ſepulturas non confundi, ſed à Laicis ſeiungi, obſeruari mandamus. DE-

DECRETVM VII.

DE

ECCLESIIS, EARVMQVE NITORE, ac ſtructura.

47 Eccleſias conſtruere ab initio naſcentis fidei ad cultum Deo exhibendum conſueuerunt, & laudabilitèr fideles: vt autèm in Eccleſiarum ædificatione nil contrà Sacros Canones admittatur, hæc ſancienda ex ipſiſmet viſum fuit.

48 In primis igitur mandamus, nè ſine Epiſcopi licentia, Cappellæ de nouo extruantur, ſeù Oratoria, nèc Religioſorum Monaſteria, In ijs ædificandis opportunus eligatur locus, vt ſit à prophanis ædibus disiunctus, & quantùm fieri poteſt ab omni ſtrepitu remotus; forma autèm potior eſt, quæ crucis figuram exhibet, vt ab Apoſtolorum ferè temporibus transmiſſum nouimus.

49 Inſupèr capaces Populi conſtruantur, & congruæ ſint Sacris miniſterijs, in quibus Altare maius eminentiori loco cōditum ſit; alia quoque Altaria erigi in commodo, & decenti loco cum Sacris imaginibus ſuprà affixis, & nonniſi ex lapide, aut ligno ex noſtra licentia; & congruè

pro

pro neceſſarijs dotata permittimus: nihil tamèn, quod ſit magni momenti, deſtrui, reædificari, ac innouari ſine noſtra licentia mandamus.

50 Altaria ſingula ſi non ſint conſecrata, Aram, ſeù Altariolum habeant conſecratum; paritèr candelabra decora ſuprà ipſa, ſex in maiori, in minoribus ad minimum duo cum imagine Chriſti Domini à Cruce pendentis collocentur, & tribus mundis mappis operiantur, quarum vna oblonga ad imam partem vſque deſcendat, duæ que breuiores. Pallium, ſiuè Sericum, ſiuè ex alia decenti materia, partē Altaris anteriorem contegat, & ſcabellum inferius habeat longitudinis ipſi Altari nō imparis; cœteraque neceſſaria ad ſacrificium peragendum.

51 Sacra ſupellectili adeò omnes Eccleſiæ ſint ditatæ, vt nullus deſit pro officiorum varietate, ac ſolemnitate apparatus, aliàs licentia in eis Sacra peragendi nō concedetur: Et quamuis Templa ſolemnioribus anni diebus ornatiora, & Auguſtiora cupiamus; prophanas tamèn imagines, vèl argenteas hominum, aut belluarum ſtatuas, vèl ſimilia eminùs ab Altaribus arceri precipimus: vt Ceremoniale fel. rec. Clementis VIII. iuſſu editum, ac denuò Sanctiſſimi Domini Innocentij X. authoritate recognitum inuiolabilitèr ſeruari mandauit.

52 Vas

52 Vas aquæ benedictæ cuicumque Ecclesiæ intùs à latere dextero introeuntiũ adhæreat: & Confessionaria ponantur loco decenti, & conspicuo: sintque in ipsis ferreæ laminæ paruis foraminibus contextæ, & anteportæ, quæ pœnitentem à Confessario seiungant; & vnam ad minùs habeat campanam.

53 Sacristiam aptam ministrorum copiæ vnaquæque habeat Ecclesia (cuius aditus Laicorum conuentui interclusus, Clericalis Ordinis hominibus tantùm opportunè pateat) in eaque ornamenta, libri, Sacræ Vestes, & reliqua decorè afferuentur; paruum Altare, & tabellam, vbi preces antè; & post Missam recitari commodè possint, itemque lauatorium cum manutergio appenso, vt antè, & post Missam manus abluere possint, extructum habeãt; & campanulam propè portam Sacristiæ muro affixam.

54 Cœmeteria, quæ ad excitandam fidelium deuotionem instituta sunt, non pateant animalibus, hominum congressibus, deambulationibus, & nundinis, muris circum septa, quæ segregare valeant à prophanis locis, & in eorum medio Crux è marmore, vèl ligno erigatur, nullæ quoque plantæ, tàm frugiferæ, quàm fructum non afferentes in ipsis permittantur.

55 Si Ecclesia fuerit Parochialis habeat omnia pro Sacramentis ministrandis ne-

necessaria, quæ sparsim in titulo de Sacramentis recensuimus. Cathedralis verò, vèl Plebanæ Chorum habeant propè maius Altare, & ità dispositum, vt tempore, quo Diuina peraguntur, à transeuntibus non turbentur.

56 Ecclesiarum nitori ità consulatur, nè squalore, aut puluere sordescant; sæpè igitur solum emundetur, & à solo ad fastigium vsque, saltèm semèl in anno puluis excutiatur, & opera aranearum euellantur; & cum opus fuerit, collapsa pars reparetur, & nihil in eis ac in Sacristia prophanum conseruetur, vt Oleum, Vinum, Frumentum, Oliuæ, Trabes, Paleæ, & alia similia.

57 Præcipimus tandèm Ecclesiarum Rectoribus, alijsque Ministris, vt si Ecclesiæ iam constructæ vetustate, aliaue temporum iniuria collabantur, vèl ruinam minentur, in ijs instaurandis, Decretum Tridentinæ Synodi districtè obseruetur, ac etiàm nè Ecclesiæ dirutæ materia, vt ligna, lapides, aut etiam suppellex in prophanos vsus conuertatur sine nostra facultate, nec ad domesticum vsum vtantur, aut alijs vtenda concedant. Alienanda autèm, & vendenda nè tradantur sub pœna carceris per annum, nisi in casibus à Iure permissis, & cum nostra speciali licentia.

Sess.21.cap.7.

58 Cum Ecclesia domus orationis sit, in ea euitentur prophana colloquia, deambula-

bulationes, ſtrepitus, tumultus, commeſſationes, negotiationes, pręſertim nundinarum, iudicia, & omnia vana, & indecentia ſicut Sacri Canones diſponunt.

59 Si quis autèm tumultum in Eccleſia excitauerit, puniatur iuxtà qualitatem delicti, & ſi fuerit cum enſe euaginato, excommunicandus eſt, donec ſatisfaciat. Si quis aleis, cartis, aut alio ludo in Eccleſia luſerit, duas ſoluat vnceas prædictæ Eccleſiæ applicandas, & pœnam carceris ad tempus noſtro arbitrio taxandam, Nulli mulieri etiam Tertiariæ liceat in Eccleſia pernoctare ſub pœna Rectori, aut Cappellano, carceris, & feminæ vncearum quatuor dictæ Eccleſiæ applicandarum.

60 Curæ ſit Præfectis Eccleſiarum, vt vniuerſa ſuppellex, non in domibus Laicorum aliquo titulo, vèl prætextu aſſeruetur, ſed in armarijs ſuis, & clauibus proprijs obſeratis ipſius Eccleſiæ reponatur, & retineatur.

61 Eccleſiarum Rectoribus, nè mulieres ingrediantur Sacriſtiam, vel illis quoquo modo demandetur cura Eccleſiæ, vèl Sacræ ſuppellectilis ſub pœna à nobis taxanda, prohibemus; ſitque in ea tabella dierum feſtorum Ieiuniorum, dierum anniuerſarij, & onerum Miſſarum, Bulla affigatur in Cœna Domini, & Catalogus reſeruatorum; ſit etiam liber, in quo Sacerdotes ſingulis diebus notent, & pro-

pria

pria manu scribant, ad cuius intentionem sacrificia obtulerunt.

62 Quicumque ad Ecclesias siuè Saecularium, siuè Regularium confugerit pro quouis delicto, aut causa, distrahi nullo modo potest, etiam à quocumque Saeculari Ministro, quauis dignitate praefulgente, absque nostra expressa licentia, ad quam concedendam, inuiolabilitèr obseruabitur Bulla fel. rec. Gregorij XIV. incipiens: cùm ali s edita anno 1591. de qua fusiùs de Immunitate Ecclesiastica.

63 Cappellae, & Altaria de Iure Patronatus fundatae in Ecclesijs nostrae Diaecesis, si à Patronis intrà spatium sex mensium à die presentis Synodi numerandorum, necessarijs ornamentis non prouidebuntur, cùm debita fabricarum restauratione, elapso termino diruantur, vèl alteri Patrono magis idoneo, ex nostra tamèn licentia concedantur, vèl Ecclesiae ipsi incorporentur.

64 Si aliquandò ad probandum corpus delicti opus fuerit occisorum corpora intèr fines Ecclesiae reposita, vèl in sepulchris condita à ministris Criminaliū Iudiciorum recognosci, nulla de causa hoc fieri permittatur in locis Sacris, sed ad locum nòn Sacrum inspicienda transferantur, de Vicarij Generalis, aut Foranei licentia, vèl facultate; & mox si nullum Canonicum impedimentum obstet,

Ecclesiasticæ sepulturæ tradantur.

65 Nulla domus, cubiculum, aut cella ad prophanos vsus suprà tectum Ecclesiarum de nouo extrui possit, nec in extructa quemquam cuiuscumque sit conditionis habitare permittatur, & si fenestræ alicuius priuatæ domus ità sint sitæ, quod ab ijs, qui in Ecclesijs immorantur, collocutiones mutuæ, vanique conspectus haberi possint, omninò occludantur.

66 Denique omnes Dominos Ciuitatum, Terrarum, & Locorum huius nostræ Diæcesis quocumque titulo, & dignitate fulgentes, in Domino hortamur, vt inuiolabilitèr obseruent, & per quos decet obseruari faciant actum Prouisionis Vice Regium, in quo nouissimè Panormi die vndecimo Martij X. Indictione 1687. fuit prouisum, & mandatum per Illustrimum, & Excellentissimum Dominum Proregem huius Siciliæ Regni ex officio Protonotarij, quòd sedes cum baldachinis Archiepiscoporum, & Episcoporum erigi debeant in Ecclesijs ad latus Euangelij; exceptis tamen Ecclesijs Cathedralibus, nec non, & alijs Ecclesijs quarumcumque Ciuitatum, Terrarum, & Locorum, in quibus conuenerint Excellentissimi Domini Proreges.

DE-

DECRETVM VIII.

DE

ECCLESIASTICA IMMVNITATE.

67 TAm in veteri Lege, quàm apud Æthnicos asyli nomine constitutum fuit, delinquentium refugium, è quo auelli, aut extrahi confugientes minimè poterant; multò magis igitur Iure optimo meritò Ecclesijs fidelium, quæ Dei viui domicilia sunt, & in quibus tot Diuina mysteria celebrantur, Immunitas constituta est, tùm Diuina ordinatione, tùm Canonicis Sanctionibus, vt Tridentina testatur Synodus. Sciant igitur quicumque Laici Ministri quoscumque tàm ob Ciuilem, quàm ob Criminalem causam ad Ecclesiam confugientes inuitos indè abstrahi nullo modo posse: & si quis eorũ debitam Ecclesijs paruifaciens reuerentiã, indè eos abstrahere, vèl abducere præsumpserit, Canonum pœnas, & excommunicationem, præcipuè in Bulla Gregorij XIV. contentam ipso facto incurrere.

Ecc. 21. Deuteron. 19. Iosuè 20. 3. Reg 2.

Sess. 25. c. 20.

68 Nè autèm contrà Sacrorum Canonum intentionem, Ecclesiastica Immunitate perditissimi homines abutantur; & ad suorum scelerum incentiuum, Eccle-

Incip. cũ aliàs anno 1591. edita, & est in Bullar. Cherub.

siam

ſiam cum maximo aliorum damno per plures etiam annos frequentantes; indè exire ad facinora perpetranda, & reuerti contingat: mandamus omnibus Eccleſiarum Rectoribus, nè vltrà tertium diem ſine noſtra expreſſa licentia in ſcriptis aliquem ibi immorari permittant, ſed ſtatim de confugientibus ad loca Sacra, Nos, vel Noſtrum Vicarium Generalem in Vrbe, extrà verò Vicarios Foraneos moneant, ſub pœna vncearum duarum, vt malis quibuſuis obuiam ire poſſimus, & de qualitate perſonarum certiores effecti, quid in Domino expedire nouerimus, decernere valeamus.

69 Cùm verò in caſibus, quibus Immunitas Eccleſiaſtica non fauet, vt diximus, in Decreto de Pœnitentia, ex iam citata Gregorij Bulla, Iudicium ad Nos pertineat, nulli liceat ſine noſtra facultate aliquem huiuſcemodi criminoſum Curiæ Sæculari tradere, minuſque ipſius Curiæ Sæcularis Miniſtris per ſe ipſos indè eum extrahere, aliàs prætèr pœnas, & cenſuras in dicta Bulla contentas, noſtris plectentur pœnis; Cum enim nobis conſtiterit alicuius criminis eſſe reos, quo Eccleſiaſtica priuantur Immunitate, eos ipſi Curiæ tradere non recuſabimus.

70 Non minor Eccleſiaſticis, tàm quòad perſonas, quàm quòad bona à laicali poteſtate debetur exemptio, tùm Ciuili,

tùm

tùm Canonica Sanctione firmata; quarè prohibemus, nè quis cuiuscumque sit cōditionis, & gradus eos iniurijs, conuitijs, aut verbis ignominiosis prosequatur, secùs carceribus ad nostrum arbitrium addicatur, & nisi parti offensæ satisfaciat, excommunicetur, & si casus occurrerit, quòd Ecclesiasticus Sœcularem offenderit, ad Nos deferat, vt condigna eum puniamus animaduersione.

71 Violentas manus in Clericos inijcientes, aut aliquas contrà eos leges ferentes, vèl ad suum Tribunal cogentes, vèl aliquam eis vetitam inferentes molestiam, vèl eorumdem bonis collectas, datia, gabellas, &c. imponentes, vèl exigentes siuè directè, siuè indirectè prætèr excommunicationem, quam incurrunt, à Nobis seuerè, censuris, carcere, aut alijs pœnis puniendos monemus, & in Domino hortamur, vt inferiores non sint Æthnicis in exhibendo honore Ecclesiasticis Dei seruitio mancipatis: famosos libellos, tum qui componunt, tum qui scribunt, tùm qui publicis in locis, aut priuatis domibus affigunt contra personam, aut personas Ecclesiasticas, in excommunicationem ipso facto incurrant, alijsque per Sacros Canones, & Apostolicas censuras pœnis statutis subiaceant; idem si fiat contra Sœculares decernimus.

72 Vt autem, quæ sunt Cæsaris Cæsari,

&

& quæ sunt Dei Deo reddantur; Ecclesiasticos monemus, vt fraudes omnes vitare conentur, neque plus exemptionis in emẽdis sibi necessarijs quæritent, quàm sibi, & suorum Commensalium indigentiæ opus fuerit, eisque districtè precipimus, nè Sœcularium bona stabilia fictè possidere, vt à datijs, & vectigalibus illos exonerent, quoquomodo, vel per fraudulentes donationes, aut alio titulo affectent, nec fructus, mercesque, quæ realitèr ad se non pertinent, suas esse testentur: In posterùm huiusmodi ficta instrumenta non admittant, & præteritorum declarationem faciant, ad quos verè pertinent: aliàs pratèr restitutionem damnorum, cui subijcientur; carcere, & pecuniarijs pœnis pro delicti qualitate, qui contraire huic ordinationi deprehendentur, mulctabuntur.

Bullar. tom. 5. const. 270. incip. Romanus Pontiphex edit. ann. 1641. die 5. Iunij.

73 Alia super præseruatione iurium Ecclesiarum personarumque Ecclesiasticarum à quibuscumque præiudicialibus, videri possunt in Bulla Vrbani VIII.

(†)

DE-

DECRETVM IX.

DE TESTAMENTIS, ET LEGATIS ad pias causas.

74 VArijs, diuersisque modis elaborarunt, vt piæ Defunctorum voluntates executioni debitæ demandarentur, vt legata ad pias causas adimplerentur Illustrissimi Prædecessores nostri in suis antiquis huius Diæcesis Synodis, D.D. Albertinus, & Sebastianus, nec ad huc optatum consequi potuerunt effectum; cum autèm experientia satis comprobatum fuerit diebus nostris magis crescente hominum malitia, ac contumacia, multos hæredes, & executores testamentorum esse, qui pia Legata, vt tenentur, non adimpleuerint, immò, quod peius est ipsa maliriosè occultarunt, vel secum locis pijs, & legatarijs composuerint.

75 Propterèa Decretis Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi, & Sacrorum Canonum inhærentes, vt muneri nostro satisfacere possimus, & piæ Testatorum voluntates, eorumque Legata, præsertim ad pias causas rectè exoluantur, etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, omnes

Sess.22.cap.8. de ref. c. nos quidèm c.si hæredes c. tua nobis &c. Ioannes de testamētis.Clem. quia contingit de Relig.Dom.

S hære-

hæredes, fidei commissarios, & executores testamentorum paternè monemus, & in Iesu Christi visceribus hortamur, vt infrà Trimestre à presentium publicatione numerandum, quod pro Canonico, & peremptorio termino præfigimus, & assignamus, huiusmodi adimpleant Legata, piasque dispositiones in testamentis, vltimisque voluntatibus, seù quomodocumque pia relicta, & Legata cum effectu, & realiter soluant, ac executioni demandent; aliàs si eo elapso non paruerint, excommunicationis sententiam contrà ipsos omninò decernimus proferendam, à qua nisi post integram satisfactionem, absolutionis beneficium à Nobis poterunt obtinere: si qui autem non habent vndè reddere, spontè compareant, vt congruam temporis dilationem pro vt in Domino videbimus, eis concedamus.

76 Sciantque transgressores huius nostræ constitutionis, quòd elapso dicto termino supra præfinito, si aliàs à die mortis testatoris, sex sint transacti Menses, quòd data negligentia executorum, non solùm priuabuntur ab executione dicti testamenti, & ab electione, & distributione, si ipsis commendata fuerint, cùm ad Nos de iure hæc deuoluantur, si defunctus alios non substituerit in locum priorum negligentium, sed etiam ab omni lucro, & interesse sibi competenti, ac commodis omni-

bus in testamento ipsis relictis, prætèr aliam pœnam, quam luent reddendi Legata pia cum fructibus omnibus, & emolumentis, quæ à die mortis defuncti poterant ex eis percipi, vt Iura disponunt: & hoc etiam si testator prohibeat, nè Episcopus se intromittat in executione suæ vltimæ voluntatis, quià talis prohibitio nullius est momenti, vt communis, & recepta tradit sententia.

Cap. Tua de Testamentis

77 Declarantes supradictam nostram Synodalem constitutionem in vim Iuridicæ monitionis, & specialis intimationis post eius publicationem transijsse. Sicut, & Nos ex nunc pro tunc omnibus, & singulis Defunctorum hæredibus, fidei commissarijs, & Testamentorum executoribus post eius publicationem, quam etiam quolibet anno in posterum fieri ordinamus in Cathedrali,& Matricibus Diæcesis, eam intimamus, eosque omnes, & singulos supradictos monemus ad effectum, vt à die mortis testatoris, terminus satisfactionis legatorum currere intelligatur.

78 Item precipimus omnibus, & singulis Ecclesiarum Rectoribus, etiam Hospitalium, Confraternitatum, Sodalitatum, vt collectis oneribus, quæ à principio ad hæc vsque tempora cuique Ecclesiæ sunt annexa, vel titulo beneficij, vel Legati, Tabulam conficiant Missarum, quæ vno-

quoque die sunt celebrandæ, & in quo Altari. Aliam similitèr notam Cappellani, Beneficiati, & aliorum Sacerdotum, qui ad eas celebrandas deputantur; & vtraque in loco patenti reponatur; vt vnusquisque sciat onus sibi impositum, idque rectè exequatur. Insuper liber in Sacristia sit, in quo vnusquisque manu propria notet quotidiè Missæ celebrationem, & alias circumstantias oneris adimpleti; vt indè prospicere possimus, an Legatis, & pijs Defunctorum voluntatibus sit satisfactum, & quolibet anno Ecclesiarum curam habentes, in Mense Septembris exactam rationem Missarum in præcedenti Indictione celebratarum, vel omissionum reddere teneantur.

Sac. Congreg. 15. Septembris 1663.

79 Quicumque autèm id neglexerit, præter quam quòd Deo vindici redditurus est rationem, pœnæ à nobis imponendæ subijcietur.

80 Insuper, vt in adimplendis Legatis pro puellarum nuptu, rectè procedatur, mandamus fidei commissarijs, reliquisque ad quos pertinet, nè dies præfixa à testatore, vel protrahatur, vel anticipetur, cùm ex hoc offensio consanguinearum, vel aliarum, ad quas pertinet, oriatur; & si huic nostro mandato non paruerint, ad Nos electio deuoluetur, ipsique exequutores de proprio soluent eam pecuniæ summam, quæ pro dote puellæ est constituta.

81 Nè

81 Nè verò contingat fraus in probãda consanguinitate pro Legatis consequendis; statuimus, vt non alitèr, quàm per scripturas authenticas, non verò per testes in posterum probetur, nisi in casu, quo alitèr probari nequeat, à Nobis priùs licentia impetrata, re maturè discussa, præuio interrogatorio ex aduerso præsentato. Ipsis verò, ad quos attinet electio, præcipimus, vt æquitatis Iura seruent, neque non admittendas admittant, aut postponendas præferant, aliàs de proprio à Nobis cogentur soluere, cui de Iure debebatur.

82 Præterea, quæ pro alendis pauperibus, vel puellis in conseruatorijs, vel in ægrotantium subsidium, vel alios pios vsus sunt relicta, in alium, etiam ad tempus conuertere non præsumant, secus transgressores duplum Ecclesiæ, vel Legatarijs, persoluere compellantur; sed pro huiusmodi alteratione, seù commutatione ad Nos accedant, vt iusta existente causa in Iure permissa, dispensetur. Et vt memoria excidere nequeat, & in posterum appareat, liber habeatur, in quo Legatorum piorum exequutio fidelitèr describatur, & nostro Magistro Notario quolibet anno nota afferatur, vt in Archiuio nostro registretur, & iustis de causis prohibemus, nè fiant cessiones pro Legatis satisfaciendis in admissionis exequutionem sine no-

stra,

ſtra, vel Vicarij Generalis licentia in ſcriptis obtenta.

83 Notarijs autèm quibuſcumque, & Tabellionibus precipimus, vt infra bimeſtre à defuncti morte, teneantur Eccleſias, loca pia, vel alios quæcumque, ad quos pertinet, de Legatis pijs in ſingulis teſtamentis, codicillis, alijſue tabulis quomodocumque ad ipſas attinentia, certiores facere, etiàm ſi teſtamenta ſint clauſa, Iura autèm ſibi competentia ab Eccleſia, ſeù perſona, pro qua fuerit diſpoſitum, illicò perſolui volumus, & mandamus. Eorum verò, quæ pro ſatisfactione rei malè partæ, ſeù ablatæ, aut in furti ſatisfactionem legantur, Vicarium Generalem, in Vrbe, & Foraneum in Diæceſi moneāt: ſciantque ſi huic Ordinationi non paruerint, vel alia quacumque fraude impedire auſi fuerint, excommunicationis pœna, eſſe feriendos, alijſque noſtro puniendos arbitrio, vſque ad priuationem Officij in negotijs, & cauſis Eccleſiaſticis juxtà formam Sacri Tridentini Concilij. Seſ.22.cap.10.

84 Legatarijs quibuſcumque imponimus ſub pœna non conſequendi Legatum, vt obtenta electione, Magiſtro Notario noſtræ Curiæ Epiſcopalis huiuſmodi electionis dent notitiam, vt poſſit illam in actis regiſtrare.

DE

DECRETVM X.

DE

BONIS ECCLESIÆ CONSERVANDIS, & non alienandis.

85 ECclesiarum bona Dei seruitio mancipata, siuè ex fidelium obligatione, siuè alio quouis titulo obtenta, ità custodiri decet, vt non cogamur ex ore Iudicantis audire: Redde rationem villicationis tuæ. Ea proptèr decernere visum fuit, vt in omnibus Ecclesijs Parochialibus nostræ Diæcesis, nec non Monasterijs Monialium, & Hospitalibus, œconomus, siuè Procurator, per quos spectat, eligatur, ad rerum ad easdem spectantium curam gerendam; qui antè susceptum Officium, coram Nobis iuramento præstito, muneris fidelitèr obeundi, se vinctum agnoscat.

86 Insupèr ipso initio inuentarium omnium rerum, & bonorum dictarum Ecclesiarum, & communitatum perficere teneatur, cuius consimile in Archiuio nostro asseruandum deferat, vt sic facilè deprehendi queat, recta eorumdem administratio. Procuratores verò Confraternitatum, vel Sodalitatum, aut eorum Gubernatores, qui singulis annis ex eorumdem

Confratrum votis eligi consueuerunt; quolibet quoque anno coram Nobis, aut nostro Vicario Eleemosinarum quarumcumque, siuè pro Missis celebrandis, siuè pro fabricis, aut ornamentis, & alijs similibus rationem reddere teneantur.

87 Quicumque verò enumeratorum aliquid dissipasse, aut in proprium commodum conuertisse, vel negligentèr curam gessisse compertus fuerit, ad integram restitutionem friuolis posthabitis appellationibus compelletur. Si verò in pignus illa dederit, summam pecuniarum acceptam de proprio soluere teneatur, non remissis alijs pœnis.

88 Parochis verò iniungimus, vt eisdē initio suscepti muneris lingua vulgari Decretum Concilij Tridentini explicent; vt nullus eorum ignorantiam anathematis, cui subiacet, in subsidium adducere valeat; & ideò in præmissis dispositio Sacri Concilij Tridentini inuiolabilitèr obseruetur.

Sess. 22. de ref. c. 11.

89 Alienatio bonorum Ecclesiæ à Sacris Canonibus, & Summis Pontificibus vetita, nullo pacto impunè à Nobis patienda, vndè quemcūque cōpertum, aliqua alienari prohibita, alienasse, prætèr pœnas Iuris, quas luere debet, solutioni vnciarum decem subijcimus, eidem Ecclesiæ, vel pio loco, cuius bona alienauit, applicandas. Alienationis verò nomine, nè dum venditiones,

Cap. Nulli licet de rebus Eccl. non alien. Paul. II. extrau. Ambitiosæ, & alia.

ditiones, verùm donationes, permutationes, contractus emphytheuticos perpetuos, locationes vltrà triennium, & omne pactum, quo dominium transfertur, vèl alterius vsui conceditur trium annorum longiori termino intelligi sciant; & non solùm stabilia comprehendere, verùm etiam annuos redditus, & mobilia pretiosa. Si autèm vrgens necessitas, aut magna Ecclesiæ vtilitas, aliquorum alienationem exposcant, Nos consulant, vt quid Sacri Canones fieri permittant spectantes, matura deliberatione procedamus, nàm etiã in casibus à Iure permissis, nonnisi de nostrã licentia, & reliquis adhibitis conditionibus fieri debet.

90 Omnibus itèm Ecclesiarum curam habentibus mandamus, nè Ecclesiæ bona in deteriùs abeant, sed benè, securè, & diligentèr custodiant, & si ob rationabilem causam aliquandò prædicta bona in commodum tradere contingat, vt alterius Ecclesiæ consulatur necessitati, à Parochis cum consensu duorum suorum Cappellanorum antiquorum, à Procuratoribus, & Gubernatoribus duorum aliorum assistentium, seù antiquorum Confratrum commodari posse permittimus; maximè quandò rei commodatæ nullum sequeretur nocumentum, in suo tamèn robore nihilosecius remanente ordinatione pro nostra Cathedrali iam facta. *Cap. 1. de pignor. c. 1. & seq. de consec. dist. 1.*

T Ca-

Cap. vestimenta, & seq qu. de consec. dist. 1.

Caueant præcipuè, nè vestimenta, vel alia, quæ ordinandis Ecclesijs deseruiunt pro Laicorum Sedibus tegendis, aut alijs vsibus prophanis adhibeantur sub pœna vncearum duarum ipsimet Ecclesiæ applicandarum.

DECRETVM XI.

DE

FESTIS, ET IEIVNIIS.

100 ÆQuum esse aliquot dies Deo Sacros reuerenter ab hominibus coli, vt ipsi debitæ exoluantur gratiæ pro innumeris exhibitis beneficijs, ipsamet ratio dictat, & Dei præcepto instruimur, ad idemque perficiendum, vltio, qua ipse in veteri lege festorum violatores persæpè puniuit, non aspernenda conducit. Monemus igitur omnes nostræ ditioni subiectos, vt Dominicos dies, cæteraque festa, quæ ex præcepto vniuersalis Ecclesiæ sunt instituta, & in Vrbe festum Sanctæ Feproniæ Virginis, & Martyris Ciuis Pactensis die quinto Iulij omni qua par est reuerentia colant, à media nocte vsque ad mediam noctem diei festi, tàm à seruilibus operibus abstinere satagant, Missæ Sacrificio intersint ab initio vsque ad finem,

& pia

& pia opera frequentare studeant, ad idẽque seruos, & familiares cogant potiùs, quàm laboribus addictos velint: sciantque ad id sub peccato mortali teneri, & à nobis sine iusta causa illud temerantes, puniendos censuris, alijsque pœnis: quarè Vicarijs nostris Foraneis præcipimus, nè alicui licentiam laborandi concedant, nisi necessitas id exposcere comperiatur.

101 Mandamus insupèr, vt mercium venditores, prætèrquàm eorum, quæ infirmis sunt necessaria, vel Peregrinis, & alijs iter agentibus omninò vacent. Idemque præcipimus omnibus cuiuscumque generis Artificibus: exculenta autèm, vel poculenta nonnisi per ostiolum, vel semiclausam Portam exponantur, vt nullo pacto per vias vendenda circumferantur, sciantque omnes enumerati, si huic nostræ ordinationi non paruerint, pœnam vnius scuti soluturos, & carceri per mensem mancipandos, vt in anteàcta huius Diæcesis Synodo præscriptum fuerat.

102 Indicimus quoquè Iudicijs Ciuilibus silentium, itaut nemo in diebus Dominicis, & festiuis pro debitis Ciuilibus cogi, citari, compræhendi, aut in carcerem tradi possit, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrenda ab omnibus Ministris, tàm superioribus, quàm inferioribus, qui ad id quoquo modo operam dederunt, à qua nemo possit

eos absoluere, nisi in pristinum reducantur acta, & vinctus pristinæ restituatur libertati. Iudicia verò Criminalia, nonnisi in casibus certò, & sine vllo dubio permissis inchoare, prosequi, aut terminare monemus. Notarios quoque hortamur, vt ab instrumentorum publicatione, vel stipulatione, quantùm fieri potest, abstineant.

103 Non impari quoque Religione Ieiuniorum dies sunt ex præcepto Ecclesiæ obligante sub mortali colendi; atque in primis Quadragesimæ tempus, quatuor anni ætates, & Beatæ Virginis, & Sāctorum peruigilia, in quibus ab omni esu carnium debent abstinere, & lacticiniorū iuxtà huius Regni consuetudinem, præcisso Priuilegio Bullæ Cruciatæ, & vnica debent esse contenti comestione. Item à carnibus quoque abstinère debent qualibet feria sexta, & Sabbato, nisi in eis dies Natalis Domini inciderit. Quarè omnibus Lanionibus, Macellarijs, Tabernarijs, Cauponibus præcipimus sub pœna tarenorum duodecim, vt in præfatis diebus sine nostra expressa facultate in scriptis concessa, carnes vendere non præsumant, & etiam cum nostra licentia, nonnisi foribus ex parte occlusis, vt à prætereuntibus videri nequeant. Peregrinis verò, nonnisi cum euidentèr eorum infirmitas, aut necessitas constiterit, venales exponant,

104 Te-

104 Tenentur autèm omnes fideles Ieiunia hæc obſeruare poſt vigeſimum primum annum, ſi infirmitate, vel alia legitima cauſa impediti non fuerint.

105 Inſupèr Parochis omnibus, & reliquis, vt ſupra præcipimus, vt Dominicis diebus intèr Miſſarum ſolemnia, Feſtorum, ac Ieiuniorum dies, quæ in Hebdomada acciderint, nec non Indulgentias, quæ ritè publicari poſſunt, Populo exponant; nè aliquis ignorantiam in eorumdem violatione ad excuſandas excuſationes in peccatis quoquomodò allegare poſſit: laudabilem confirmantes conſuetudinem in illis locis, in quibus ſignum ſero præcedenti pro Ieiunio pulſatur, & tabella pro Indulgentia publico apponitur loco.

(✝)

SES

SESSIO IV.

DE

BENEFICIIS, ET BENEFICIARIIS PERSONIS.

DECRETVM I.

DE

BENEFICIIS.

1 Clesiasticis Beneficijs ex fidelium oblationibus constitutis ad Diuinũ cultum promouẽdum nonnisi benemeritos de Ecclesia milites potiri congruit: Vndè Beneficij Ecclesiastici capax non est Laicus, sed requiritur, vt sit Clericus ad minus primæ Tonsuræ, aut certo ordine, quem Beneficij institutio exigit ornatus, insuperque, vt cælibem vitam Deo dicatam ducat requiritur: Quare Beneficium coniugato collatum nullum habere effectum decernimus

nimus (nisi fortè fiat in casibus à Iure permissis) Pariterque Clericum Beneficiatū, si ad Nuptialem thorum transire contingat ipso Iure illud amittere declaramus.

2 Ad Beneficium obtinendum hæ seruentur conditiones, quæ à Sacris Canonibus, & præcipuè Tridentina Synodo sunt præscriptæ; atque in primis natalium ex legitimo thoro, ætatis ex Conc. requisitæ, litterarum peritiæ ad munus beneficio annexum ritè obeundum necessariæ; Præterea corporis ineptitudo ad officium decenter exequendum non obsit; neque incompatibilis Beneficij possessio, sed præscriptum à Tridentino circa Beneficiorū pluralitatem inuiolabilitèr obseruetur, nemini item conferatur, qui aliqua inhabilitate, vel censura innodatus existit, cum collatio irregulari, suspenso, interdicto, aut excommunicato ex Sacrorum Canonum sanctionibus sit nulla. In hæreticis eorumque filijs, simoniacis, intrusis, alijsque similibus, iuris Canonici dispensationem seruari præcipimus; ac demùm nullo impedimento affecti, nonnisi vitæ probitate, morumque honestate præditi ad beneficia promoueri debent, vt Dei, & Ecclesiæ ministri virtutibus antecellant, quorum in salutis stadio duces, & signiferi sunt instituti.

3 Nullus ante vigesimum quintum ætatis annum saltem inceptum benefi-

cium

Sess.24. cap.2. cium Curatum obtinere præsumat, si verò beneficium sit simplex non antè decimum quartum ætatis annum ei conferatur, alias ipsa collatio sit nulla, nisi in fundatione aliter statuatur.

4 Beneficiorum pluralitas est à Sancta Tridentina Synodo prohibita, vnde qui sufficiens possidet beneficium incapax erit alterius beneficij, nisi à Sede Apostolica dispensatio obtineatur, verùm si primum beneficium ad vitam eius, cui fuit collatum substentandam non sufficiat, licitum est secundum, seù aliud simplex sufficiens impetrare; dummodò non sit incompatibile, & vtrumque personalem residentiam non requirat. *Sess.24. c. 17.*

5 Permutationes beneficiorum, quæ à Canonicis sanctionibus, & Apostolicis cōstitutionibus permittuntur Nos admittere possumus, sicut & resignationes in manibus nostris in casibus à B. Pio V. permissis. Præcipimus autem omnibus, vt in publicandis beneficiorum resignationibus quibuscumque, etiam causa permutationis, siuè coram Papa, siuè collatoribus inferioribus factis, dispositionem Gregorij XIII. inuiolabilitèr obseruent sub pœnis ibi taxatis. *Constitut. 58. in Bull. in.incipien.Quanta.*

6 Priuatio beneficiorum non aliter fiat, quam iuxtà Sacrorum Canonum,& præsertim Sacri Concilij Tridentini ordinationes. *Sess.21.cap.6. Sess.27.cap.3. Sess.25.cap.14*

7 De-

7. Decernimus, vt qui beneficium Ecclesiasticum obtinet teneatur post quatuor menses ab huius Synodi publicatione numerandos nobis, vel nostro Vicario Generali scripturas, & publica instrumenta transmittere, quibus liquidò, distinctèque de priuilegio legitimo presentato, instituente, possidente, de vltima vacationis causa de immediato Prædecessore, quo die, mense, anno, vacauerit, & præsentatum fuerit, atque collatum, quo loco fundatum, super quibus bonis, quibus confinijs nunc bona illa stabilia terminentur, qui sint annui prouentus, quæ sint onera, in qua Ecclesia, quo altari, & die, & quot Missæ debeant celebrari apertè constare possit, vt posteà prædictæ scripturę in Archiuio seruentur pro omni futuro, & perpetuo tempore.

DECRETVM II.

DE CAPITVLO, EIVSQVE Dignitatibus, & Canonicis.

1. Reuerendum Capitulum nostræ Cathedralis Pactensis à limine suę fundationis ex Canonicis constans Regularibus, sub Diui Benedicti Regula vi-

uentibus, cum fuiſſet ob mortem omniũ ſupradictorum Canonicorum Regularium extinctum, poſtmodum noſtro æuo ab Illuſtrisſimo, & Reuerendisſimo Pactenſi Epiſcopo *D.* Vincentio de Neapolis publico inſtrumento die 4. Iunij Indict. prima 1648. in actis Notarij Placidi Tinghino, fuit inſtitutum, fundatum, & ſœcularizatum, ſtatuendo ei numerum quatuordecim Canonicorum incluſis Dignitatibus, nec non numerum ſex Cappellanorum, trium Choriſtarum, & quatuor Sacriſtarum, & hoc pro adminiſtratione Sacramentorum, ac in auxilium, & ſubſidium Magiſtri Cappellani; ideſt Archipræsbyteri, qui Cappellani, Choriſtæ, ac Sacriſtæ ſunt amouibiles ad nutum dicti Reuerendiſſimi Epiſcopi, eiuſque ſucceſſorum in dicto Epiſcopatu, & in Sede Vacante ad nutum dicti Reuerendi Capituli declarando inſupèr, quòd huiuſmodi inſtitutio, & fundatio ipſius Capituli Sœcularis intelligatur, & ſit facta cum clauſulis, conditionibus, obligationibus, auctoritatibus, Dignitatibus, præeminentijs, honoribus quoque, & oneribus, ac modo, & forma infraſcriptis videlicet.

9 In primis, quòd dicti Canonici *Sœculares* ſubintrent, & ſuccedant, ac ſubintraſſe, & ſucceſſiſſe intelligantur, & ſint in locum dictorum Canonicorum Regularium dicti Reuerendi Capituli ad præ-

ſens ob eorum mortem extincti, & cum omnibus illis oneribus, Dignitatibus, preeminentijs, & alijs, quas dicti Canonici Regulares habebant, & detinebant, & quòd dictum Reuerendum Capitulum Sœculare ſemper, & omni futuro tempore in perpetuum ſtet, & ſtare debeat, cùm intelligatur de nouo inſtitutum, fundatum, & ſœcularizatum ſub Inuocatione, & Protectione dicti Glorioſiſſimi Sancti Benedicti, ſub cuius Regula à principio fuit fundatum, & non aliter, nec alio modo.

10 Itèm, quòd dictæ Dignitates, & Canonici poſſint, & debeant pro decoro Diuini Cultus afferre almutium, & rocchettum, pro vt, & quemadmodum illum, & illud ferebant ſupradicti Canonici Regulares.

11 Itèm, quòd in caſu vacantiæ alicuius dictarum Dignitatum, & Canonicorum, loco eorum vacantium ſemper electio fieri debeat per dictum Reuerendiſſimum Epiſcopum, eiuſque Succeſſores in perpetuum in dicto Epiſcopatu, vel dictum Reuerendum Capitulum in caſu Sede Vacantis, & hoc toties quoties caſus euenerit. Itaquod ſemper eſſe debeant perſonæ huius Ciuitatis Pactarum, eiuſque Diæceſis, & ſimiliter per dictum Reuerendiſſimum Epiſcopum eiuſque Succeſſores in dicto Epiſcopatu, vel dictum Reuerendum Capitulum in caſu Sede Vacantis

fieri debeat electio dictorum amouibilium ad nutum, vt suprà Cappellanorum, Choristarum, & Sacristarum, & hoc, vt dicta Cathedralis Ecclesia non remaneat cum minori numero prænarrato, sed numerus dictorum quatuordecim Canonicorum, & Dignitatum, sex Cappellanorum, triũ Choristarum, & quatuor Sacristarum semper sit continuus, & non deficiat necessitati dictæ Cathedralis Ecclesiæ.

12 Itèm, quòd dicti quatuordecim Canonici, sex Cappellani, tres Choristæ, & quatuor Sacristæ quotidiè assistere debeant in dicta Cathedrali Ecclesia ad omnes horas Canonicas, ac celebrare omnes Missas, & Officia hucusque solitas, & solita celebrari, & fieri in dicta Cathedrali, & facere omnia alià spectantia ad cultum Diuinum, ad laudem, & gloriam Domini nostri Iesu Christi, S. Bartholomæi, dictique Gloriosissimi S. Benedicti, vtilitatem animarum, & consolationem Populorum huius Ciuitatis, eiusque Diæcesis.

13 Et relictis alijs conditionibus, ac dispositionibus, de quibus ibidem, adhuc stabiliuit, & constituit singulis Canonicis, Cappellanis, Choristis, & Sacristis eorum salarium respectiuè pro quolibet anno consequendum ex redditibus in dicto actu assignatis, vt pleniùs posteà declarauit Illustrissimus de los Cameros die 2. Septembris 1655. in actis Magnæ Curiæ Episcopalis

ſcopalis Pactenſis, vltrà redditus eiuſdem Illuſtriſſimi de Neapolis applicandos, vt augerentur prædicta ſalaria, & alios etiã introitus, & prouentus ſpectantes ad Priorem, ex Prioratu, ad Archidiaconum, ex Archidiaconatu, & ad alias tres Dignitates, ſcilicet Cantorem, Theſaurarium, & Magiſtrum Cappellanum, ſeù Archipræsbyternm, nec non vltrà Eleemoſinas Miſſarum, & Officiorum, ac Mortuorum, & aliorum ipſis reſpectiuè competentibus.

14 Quæ quidem ſoecularizatio à felicis recordationis Innocentio Papa X. fuit per litteras Apoſtolicas confirmata, & approbata quoad ea, quæ ſtatui Sæculari, aut Sacris Canonibus, & præſertim Concilij Tridentini Decretis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis non aduerſantur, eam ampliando, reſeruando, reſtringendo, addendo, ordinando, ac etiam explicando, quòd huiuſmodi Capitulum ſoecularizatum, & in locum prioris immutatum, ac omnes Canonici Præsbyteri, & Clerici, omnibus, & ſingulis Priuilegijs, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, prærogatiuis, & ſingulis præeminentijs, Iuriſdictionibus, fauoribus, facultatibus, conceſſionibus, Indultis, Indulgentijs etiam Plenarijs, ac peccatorum remiſſionibus, alijſque gratijs, tàm ſpiritualibus, quàm temporalibus eidem Eccleſiæ, illiuſque Conuentui, quibus

dicti

dicti Canonici Regulares, seu Monachi vtebantur, & gaudebant, similiter vti, & gaudère valerent, ac si dicta Ecclesia in pristino statu Regulari persisteret, vt plenius in dicta Bulla cum suo transumptu tenoris sequentis continetur

BVLLA SÆCVLARIZATIONIS.

IN nomine Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen. Nouerint Vniuersi, & singuli hoc præsens publicum transumpti instrumentum visuri, lecturi, pariter, & audituri, quòd Nos Prosper Cafarellus Prothonotarius Apostolicus, vtriusque signaturæ Sanctissimi Domini nostri Papæ referendarius, & causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generalis auditor, vidimus, legimus, habuimus, & diligenter inspeximus litteras Apostolicas Sanctissimi Domini nostri Innocentij Diuina prouidentia Papæ Decimi sub plumbo more solito expeditas, quarum quidem litterarum Apostolicarum tenor sequitur de verbo ad verbum, vt infra

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Super vniuersas Orbis Ecclesias eo disponente, qui cunctis imperat, & cui omnia obediunt, quamquàm sine nostris meritis constituti leuamus in circuitu agri Dominici oculos nostræ mentis, more peruigilis Pastoris, inspecturi quid Ecclesiarum Cathedralium, illarumque Ciuitatum, & Prouinciarum

tiarum statui earumdemque Ecclesiarum Cathedralium ministrorum opportunitatibus congruat, & praesertim ne Ecclesiae ipsae, cum aliquius Ordinis Regularis esse dignoscantur propter austeriorem Regularis in eis disciplinae rigorem debitis ministris, & ministerijs in spiritualibus, & temporalibus detrimenta sustineant, vigilantes etiam interdùm per Ecclesiarum ipsarum Cathedralium status Regularis ad Saecularem reductionem, ac Dignitatum, & aliorum Saecularium beneficiorum Ecclesiasticorum in eis erectionem, vt deindè prouectus Diuini Numinis cultus maiora in dies suscipiat incrementa, Pastoralis nostri officij partes libenter interponimus, ac desuper disponimus, prout Catholicorum Regum, & Ecclesiarum ipsarum Praesulū vota exposcunt, conspicimus in Domino salubriter expedire: exhibita siquidem nobis nupèr pro parte tunc in humanis agentis Vincentij de Neapoli, olim Episcopi Pactensis, nec non dilectorum filiorum Andreae Fortunato Presbyteri, ac Simonis Calderarij, & Hieronymi Licari, ac Donati de Donatis, ac Ioseph de Donatis, V. I. D. nec non Dominici Pisano, ac Iacobi de Benedicto, ac Hieronymi de Marino, & Iosepho Barbaro, & Antonij Marescalco quondam Luciani, ac Didaci Ferrando, nec non Francisci Vassallo, & Placidi Mangelardo, & Francisci etiam Marescalco quondam Luciani Clericorum, seù Presbyterorum petitio continebat, quòd aliàs ipse Vincentius Episcopus prouida mentis attentione consi-

 derans,

derans, quòd Ecclesia sua Pactensis, quæ Regularis erat, cuique antea per Capitulum Regularium Canonicorum, seu Monachorum Ordinis Sancti Benedicti deseruiri solebat, & quòd omnibus, & singulis Capituli huiusmodi Canonicis, siuè Monachis vita functis Capitulo carebat ob introductam in eadem Ecclesia, & illius claustro strictioris Regulæ dicti Ordinis obseruantiam, aliqui qualificati, habiles, & idonei non reperiebantur, qui habitum per Monachos reformatos eiusdem Ordinis gestari solitum suscipere, ac professionem per eos emitti consuetam loco Monachorum Defunctorum huiusmodi subrogandi emittere vellent Regulares, non obstante, quòd idem Vincentius Episcopus pro Diuini cultus, & mensæ Capitularis dictæ Ecclesiæ augmento, ac vt ipsi Canonici Regulares, seu Monachi subrogandi, quietiùs, & commodiùs viuere possent, vltrà redditum trecentarum octoginta vncearum annualium monetæ illarum partium expensione annua, & perpetua, dudum de anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo primo super mensæ Episcopalis dictæ Ecclesiæ fructibus, redditibus, & prouentibus ad fauorem eiusdem mensæ Capitularis Apostolica authoritate reseruata, & solui solita prouenientem, ducentas nonaginta tres alias vnceas etiam annuas de suis merè Laicalibus bonis, de quibus testari, aut aliàs legitimè disponere poterat, eidem mensæ Capitulari perpetuò donauisset, & assignauisset, ex eo quòd dictus Vincentius Episco-

pus

pus attentis instantijs dudum de anno Domini millesimo sexcentesimo duodecimo pro parte Consilij Regni Siciliæ apud Carissimum in Christo Filium Nostrum Philippum Hispaniarum, & Siciliæ Regem Catholicum pro Sæcularizatione dictæ Ecclesiæ, ad hoc, vt ipse, Philippus Rex apud Romanum Pontificem pro huiusmodi Sæcularizatione impetranda interponeret fauorem, & auxilium factis, huiusmodi negotio ab eodem Philippo Rege assumpto, & ad illius, dictique Vincentij Episcopi supplicationem in Congregatione tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Decretorum Concilij Tridentini interpretum Præposito, & emanato per ipsius Congregationis litteras eidem Vincentio Episcopo directas quòd laudabilius esset, responso dictam Ecclesiam Sæcularizare, tandem ipse Vincentius Episcopus, præmissis debitè, ac cum matura deliberatione pensatis, Diuinum Cultum in dicta Ecclesia promouere cupiens, inhærendo dictæ Congregationis Decreto, dictique Philippi Regis voluntati, nec non Regni Siciliæ Consilij huiusmodi intentioni satisfaciendo, prædictam Ecclesiam sub nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito sæcularizauit, & in illa Capitulum Sæculare, quod quatuordecim Canonicatibus, & totidem præbendis, compræhensis in eis quinque Dignitatibus, Prioratu videlicet, qui Prima, & maior post Pontificalem, ac Archidiaconatu, qui secunda, & Cantoratu, qui tertia, & Thesaurariatu, qui quarta, nec non Archi-

 presby-

presbyteratu qui quinta, & vltima Dignitates inibi exiſterent, conſtaret pro totidem Clericis, ſeù Presbyteris Sæcularibus, & futuris eiuſdem Eccleſiæ Priore, Archidiacono, Cantore, Theſaurario, & Archipresbytero, etiam nuncupandis, ac Canonicis, nec non ſex Cappellanis, & tres portiones Chorales ſimiliter nuncupandas, ac quatuor Sacriſtas pro totidem alijs Clericis, ſeù Presbyteris Sæcularibus, etiam futuris eiuſdem Eccleſiæ Cappellanis, & Choriſtis, ac Sacriſtis reſpectiuè ad nutum tamen dicti Vincentij Epiſcopi, eiuſque Succeſſorum Pactenſium Epiſcoporum pro tempore exiſtentium, ac Sede Epiſcopale Pactenſe vacante, ipſius Eccleſiæ Capituli, & Canonicorum deputandis, & amouendis, qui dictæ Eccleſiæ pro maiori eiuſdem Diuini cultus decore deſeruire, ac Archipresbyteratum præfatum pro tempore obtinentem, ad quam animarum ipſius Eccleſiæ, quæ etiam Parochialis exiſtit dilectorum filiorum Parochianorum cura ſpectaret in adminiſtratione Sacramentorum, & Eccleſiarum coadiuuare teneretur, cum hoc, quòd ipſi Canonici, & Dignitates huiuſmodi obtinentes in locum dictorum Canonicorum Regularium, ſeu Monachorum defunctorum ſuccederent, ac omnibus, & ſingulis honoribus, dignitatibus, præeminentijs, facultatibus, Indultis, & gratijs tàm ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibus dicti Canonici Regulares, ſeu Monachi in dicta Eccleſia vtebantur, & gaudebant, ſimiliter vti, & gaudere valerent, di-

X *ctumque*

ctumque Capitulum sub protectione eiusdem Sancti Benedicti remaneret, quodque eorumdem Cappellanorum, Choristarum, ac Sacristarum amouibilium deputationem ad Vincentium, eiusque successores Episcopos Pactenses, aut Sede Episcopali huiusmodi vacante ad Capitulum, & Canonicos præfatos spectaret, & pertineret, nec Canonicorum, & Cappellanorum, ac Choristarum, & Sacristarum huiusmodi numerus vllo vmquam tempore diminueretur, nec non quòd omnes, & singuli Canonici, etiam Dignitates obtinentes, ac Cappellani, Choristæ, & Sacristæ huiusmodi omnibus horis Canonicis in dicta Ecclesia celebrandis interesse, ac omnes Missas, & alia Diuina Officia catenus in eadem Ecclesia celebrari solita inibi celebrare, aliaque omnia, et singula ad Diuinum cultum in ipsa Ecclesia spectantia facere, et adimplere, et ad hoc vt assistentia Diuinis Officijs huiusmodi non deficeret, sed illa suis temporibus, et horis destinatis non retardaretur. Quinque ex dictis Canonicis, et Dignitates huiusmodi obtinentibus alternatiuè, die, noctuque apud eamdem Ecclesiam, et in illius Canonica remanere, et commorari tenerentur, ac tandem, quòd dictæ Ecclesiæ Prior cum interuentu aliorum Canonicorum huiusmodi singulis annis, aut prout eis magis expediens, et necessarium videretur vnũ de gremio dictorum Capituli, et Canonicorum in eiusdem Capituli Æconimum et Depositarium, ac alios ministros, et officiales, nec non Procuratores pro litibus dicti Capituli defen-
 dendis,

dendis, et protegendis cum assignatione salariorum eiusdem Priori, & Capitulo beneuisorum creare, constituere, & deputare liberè, & licitè valeret, fundauit, & instituit, & pro Canonicatuum, & Dignitatum eiusmodi dote, nec non Cappellanorum, & Choristarum, & Sacristarum præfatorum salarijs, ac manutentione ex redditu annuo, & perpetuo sexcentarum septuaginta trium vncearum dictæ monetæ mille quadraginta sex ducatorum auri de camera, vel circà constitutionem, & tàm expensione prædicta, quàm ex dictis ducentis nonaginta tribus vnceis sic per eumdem Vincentium Episcopum de suo proprio eidem Capitulo vt præfertur, donatis, & assignatis proueniente Cantoratui, & Thesauraratui, ac Archipresbyteratui triginta pro earum qualibet, Prioratui, verò, ac Archidiaconatui, ac cæteris. de dictis quatuordecim Canonicatibus vigintiquinque pro singularum, & singulorum earumdem Dignitatum huiusmodi, cæterorumque Canonicatuum præfatorum præbendis; nec non sex Cappellanis, sexdecim, & tribus portionibus Choralibus, ac quatuor Sacristis præfatis pro personarum ad illas pro tempore deputandarum, & assumptarum salarijs, duodecim vnceas annuas eiusdem monetæ, & pro illarum qualibet assignauit. Volens quòd huiusmodi redditus ab ipso Æconimo exigeretur, & statim illo exacto, pœnes personam fide, & facultatibus idoneam ab eisdem Priore, & Capitulo in ipsius Capituli Depositarium eligendam, & deputandam, ad effectum

præ-

præbendarum fructus, & salaria huiusmodi eisdem Priori, Archidiacono, Cantori, Thesaurario, Archipresbytero, & alijs Canonicis, & Cappellanis, Choristis, nec non Sacristis præfatis respectiuè quadrimestratim anticipatè persoluendi deponerentur, & illius residuum, quod factis huiusmodi solutionibus, superesset, valorem annuum centum viginti octo vncearum similiū non excedet, penes dictum Depositarium deponeretur, nec in alios vsus, quàm dicti Capituli conuerti possèt; Propterea eumdem Andream Fortunato ipsius Vincentij Episcopi Vicarium in spiritualibus Generalem in Priorem, ac Simonem in Archidiaconum, nec non Hieronymum Licari in Cantorem, & Donatum in Thesaurarium, ac Iosephum de Donatis in Archipresbyterum, & Canonicos, nec non Dominicum, & Iacobum, nec non Hieronymum Marinum, & Iosephum Barbarum, & Antoninum, nec non Franciscum Vassallo, ac Placidum, & Franciscum Marescalco, ac Didacum præfatos, etiam in Canonicos, nonnullosque alios Clericos, seù Presbyteros in Cappellanos, & Choristas, ac Sacristas amouibiles eiusdem Ecclesiæ elegit, & nominauit, possessione tamen, & fructuum perceptione minimè subsecutis, prout in publico desuper confecto instrumento pleniùs dicitur contineri; cum autem, sicut eadem petitio subiungebat huiusmodi Sæcularizatio pro eiusdem Diuini cultus in dicta Ecclesia promouendi, fideliumque deuotionis incremento, ac perpetua conseruatione, ac ipsius Ecclesiæ decore, & venustate

in

in executione piæ mentis eiusdem Philippi Regis, totiusque Regni Siciliæ, ac illius magistratus facta fuerit, & propterea pro perpetua illius dignitate, tàm Philippus Rex, ac idem Vincentius Episcopus, quàm Andreas, ac Simon, nec non Hieronymus Licari, ac Donatus, & Ioseph de Donatis, nec non Dominicus, & Iacobus, ac Hieronymus Marino, ac Iosephus Barbaro, & Antonius, nec non Franciscus Vassallo, ac Placidus, & Franciscus Marescalco, ac Didacus præfati plurimum cupiant illam Sedis Apostolicæ patrocinio comprobari, seu denuo vt infrà aliaque infrascripta per nos fieri. Quare pro parte eiusdem Philippi Regis, & Vincentij Episcopi nec non Fortunati, ac Simonis, & Hieronymi Licari, ac Donati, & Iosephi de Donatis, nec non Dominici, ac Iacobi, atque Hieronymi Marini, & Iosephi Barbari, nec non Antonij, & Francisci Vassallo, ac Placidi, & Francisci Marescalco, nec non Didaci præfatorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus prospero, & fœlici decoro Ecclesiæ statui hac in parte consulere, ac Sæcularizationem, & alia præmissa, & in dicto instrumento contenta, quæcumque licita tamen, & honesta approbare, & cōfirmare, illisque perpetuæ, & inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcere, ac omnes, & singulos tàm Iuris, quàm facti, & solemnitatū de Iure, vsu, consuetudine, statuto, aut aliàs quomodolibet requisitarum, & in his forsitan omissarum defectus, si qui principaliter, vel accessoriè, aut aliàs quomodolibet interuenerint,

sup-

supplere, ac loco magistralis Cappellæ iuxtà tenorem dicti instrumenti erigendæ, ac Archipresbyteratum huiusmodi subrogare, & vt infrà erigere, aliasque in premissis opportunè prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Diuini cultus beneficiorum, ac ministrorum Ecclesiasticorum cum speciali, cum spirituali totius Populi deuotione, & consolatione sinceris desideramus affectibus eosdem Fortunatum, ac Simonem, & Hieronymum Licari, & Donatum, ac Iosephum de Donatis, ac Dominicum, & Iacobum, ac Hieronymum Marinum, ac Iosephum Barbarum, nec non Antonium, & Franciscum Vassallo, & Placidum, & Franciscum Marescalco, ac Didacum præfatos, & eorum singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, & censuris, & pœnis à Iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati ex voto Congregationis venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Decretorum Concilij Tridentini interpretum in Prioratu, & aliis siquæsint dictæ Ecclesiæ Dignitates, Canonicatibus, officiis claustralibus, & portionibus canonicalibus non collatiuis, nec in titulum beneficiorum Ecclesiasticorum conferri, aut concedi solitis, ordinem ipsũ, & quamcumque conuentualitatem essentiam, &

depen-

dependentiam Regulares Apostolica authoritate tenore præsentium perpetuò supprimimus, & extinguimus, ac in Prioratu, & alijs Dignitatibus, & officijs claustralibus, ac canonicatibus, & portionibus canonicalibus Regularibus huiusmodi statum Regularem præfatum in statum Sæcularem immutamus, illaque omnia, & singula in et ad statum Capituli, et Canonicorum, ac Præsbyterorum, et Clericorum Sæcularium, omnibus tamen, et singulis priuilegijs, exemptionibus, libertatibus, prærogatiuis, præeminentijs, iurisdictionibus, fauoribus, facultatibus, cõcessionibus, indultis, indulgentijs, etiam plenarijs, ac peccatorum remissionibus, alijsque gratijs, tàm spiritualibus, quàm temporalibus, eidem Ecclesiæ, illiusque Conuentui, Canonicis Regularibus, Dignitates, et officia, ac Canonicales portiones huiusmodi quomodolibet obtinentibus, olimque illorum mensæ Capitulari Dignitates, Canonicatus, et officia, ac Canonicales portiones huiusmodi quomodolibet obtinentibus, cæterisque eiusdem Ecclesiæ ministris, et personis quomodolibet competentibus, quoad ea, quæ statui Sæculari, aut Sacris Canonibus, et præsertim Concilij Tridentini Decretis contraria non sunt semper saluis, et firmis ac illæsis permanentibus in omnibus, et per omnia, perinde ac si dicta Ecclesia in pristino statu Regulari persisteret, eisdem authoritate, et tenore etiam perpetuo reducimus, ac in eadem Ecclesia sic ad Sæcularitatem, et Sæcularem statum reducta vnum Capitulum Sæculare, cum men-

sa Capitulari, sigillo, cassa, seu arca communibus, Cruce, & alijs Cathedralium Ecclesiarum insignibus, in eaque quinque Dignitates, vnum Prioratum, cuius quotiescumque, quandocumque, quomodocumque, & vbicumque illum vacare contigerit, collatio, prouisio, & omnimoda alia dispositio Sedi Apostolicæ semper, & perpetuò reseruata existat, quique Prima, & post Pontificalem maior pro vno Priore, & vnum Archidiaconatum, qui secunda pro vno Archidiacono, ac vnam Cantoriam, quæ Tertia pro vno Cantore, vnamque Thesaurariam, quæ quarta pro vno Thesaurario, nec non vnum Archipresbyteratum, quæ quinta, & vltima existant pro vno Archipresbytero, cui eiusdem Ecclesiæ dilectorum filiorum Parochianorum animarum cura principaliter incumbat, nec nõ quatuordecim Canonicatus, & totidem præbendas, qui omnes pro tempore vacantes, nonnisi Clericis, seu Presbyteris ex Ciuitate, vel Diæcesi Pactensi Oriundis conferri nequeant, ac vnum, & vnam videlicet pro Priore, ac vnum, & vnã pro Archidiacono, ac vnum, & vnam pro Cantore, vnumque vnam pro Thesaurario, ac vnũ, & vnam pro Archipresbytero præfatis, qui illos, & illas insimul, & vnà cum suis dignitatibus absque dispensatione Apostolica respectiuè obtinere possint, reliquos verò, & reliquas Canonicatus, & præbendas huiusmodi pro totidem Præsbyteris, seu Clericis Sæcularibus futuris dictæ Ecclesiæ Canonicis Sæcularibus, qui omnes ipsius Ecclesiæ Capitulum Sæculare constituant,

 & apud

& apud illam continuò personaliter residere, ac in illa singulis diebus horas canonicas diurnas, pariter, & nocturnas, Conuentualem, & alias Missas, anniuersaria, & alia Diuina Officia, ac suffragia cum deuotione, & mentis attentione seruataque disciplina Ecclesiastica decantare, & recitare, illisque personaliter interesse, ac aliàs in diuinis laudabiliter, vt decet deseruire debeant, & teneantur; Item authoritate, & tenore præmissis perpetuo, sine tamen alicuius praiudicio erigimus, & instituimus, nec non pro Prioratus, nec non pro Diaconatus, ac Cantoriæ, & Thesaurariæ, atque Archipresbyteratus, atque singulorum Canonicatuum, vigore præsentium, vt præfertur, erectorum præbendis, illosque, & illas pro tempore obtinentiũ substentatione, ac onerum illis incumbentium supportatione, ac mensæ Capitularis dictæ Ecclesiæ dote redditum annuum, & perpetuum sexcentarum septuaginta trium vncearum huiusmodi, ita quòd liceat dictæ Ecclesiæ Capitulo, & Canonicis illius corporalem, realem, & actualem possessionem per se, vel per alium, seu alios eorum, & dictæ mensæ Capitularis nominibus propria authoritate apprehendere, & apprehensam etiam perpetuò retinere, ac redditum huiusmodi percipere, exigere, leuare, & recuperare, ac in vnam massam pro Prioratus, & Archidiaconatus, & Cantoriæ, atque Thesaurariæ, nec non Archipresbyteratus, singulorumque Canonicatuum præfatorum præbendis, nec non Cappellanorum, & Choristarum, Sacristarumque

rumque huiusmodi salarijs in primis ab eadem massa detrahendis, & vt supra persoluendis congerere, illamque, detractis præbendis, & salarijs præfatis in distributionum quotidianarum inter præsentes, & Diuinis Officijs in eadem Ecclesia interessentes iuxtà prouidam desuper faciendam repartitionem, diuidendam; ita quòd absentium, & non interessentium portiones pro ratha negligentiarum alijs præsentibus, & interessentibus accrescant, conuertere; cuiusuis licentia desuper minimè requisita dictis authoritate, & tenore concedimus, assignamus, applicamus, & appropriamus. Præterea dictæ Ecclesiæ sic ad Sæcularitatem reductæ, illiusque Priori, Archidiacono, Cantori, Thesaurario, & Archipresbytero, nec non amouibilibus Cappellanis, Choristis, & Sacristis præfatis, cæterisque ministris, & personis etiam vtriusque sexus Christi fidelibus eamdem Ecclesiam pro tempore visitantibus, vt omnibus, & singulis priuilegijs, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, præeminentijs, prærogatiuis, facultatibus, indulgentijs, indultis, & gratijs vniuersis ipsi Ecclesiæ, & illius Capitulo, nec non Canonicis Regularibus olim, ante illorum ad Sæcularem statum reductionem concessis, statui tamen Sæculari, ac præfati Concilij Tridentini Decretis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis non repugnantibus præfatis, & hactenus non reuocatis, nec sub aliqua reuocatione comprahensis, sine tamen aliqua confirmatione, seu retentione priuilegiorum Regularium, quæ statui

Ecclesiæ Sæcularis aduersantur, vel dispositionem eorum, qui bona eidem Ecclesiæ reliquerunt, seu dederunt, sed prauio ipsorum priuilegioru Regularem statum concernentium abrogatione, ac etiam sine aliqua priuilegiorum ad instar aliarum Ecclesiarum Cathedralium, sed de expressis, & specificatis dumtaxat vti, frui, potiri, & gaudere. Ipsisque Episcopo, & Capitulo, & Canonicis, vt pro fœlici, & prospero dictæ Ecclesiæ, sic ad Sæcularitatem reductæ, illiusque Capituli per præsentem erecti gubernio, directione ministrorum præfatorum, admissione, & receptione, ac residentia, & interessentia, Capitulis celebrandis, officialibus necessarijs deputandis, & tenendis, seruitijsque, & ministerijs ab ipsis obeundis, ac aliàs circà præmissa necessarijs, & opportunis, quæcumque statuta, ordinationes, & decreta licita tamen, & honesta, ac Sacris Canonibus, Concilijque Tridentini huiusmodi Decretis, & constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis minimè contraria facere, condere, & edere, ac post expediens videbitur illa immutare, limitare, corrigere, declarare, ac interpretari, & in meliorem formam redigere, seu alia de nouo, & integrè facere, & edere liberè, & licitè possint, & valeant, quæ postquam à Sede Apostolica examinata, & approbata fuerint, ab ijs, ad quos spectabit quomodolibet in futurum sub pœnis in eis comminatis, & inflictis omninò inuiolabilitèr obseruari debeant, ac eisdem Capitulo, & Canonicis, Sede Episcopali Pactense pro tem-

pore vacante Vicarium in spiritualibus Generalem iuxtà formam dicti Concilij deputandi facultatem dicta Apostolica authoritate tenore earumdem præsentium similiter perpetuò concedimus, & indulgemus, ac licentiam, & facultatem desuper tribuimus, & impartimur; decernentes easdem præsentes litteras, ac in eis cōtenta quæcumque sub quibusuis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut alijs congruis dispositionibus post hac per Nos, vel successores nostros Romanos Pontifices, tàm in crastina cuiuslibet illorum ad summi Apostolatus apicem fieri solitis, quàm alias quandocumque, etiam cum quibusuis clausulis, ac etiam derogatoriarum derogatorijs, irritantibusque, & alijs Decretis emanandis minimè comprahendi, seu illis non obstantibus in suis vigore, & robore persistere, ac quoties illa emanabunt toties in pristinum, & eum in quo erat validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de nouo, etiam sub quacumque posteriori data per eiusdem Ecclesiæ Capitulum, & Canonicos pro tempore existentes quandocumque eligenda, concessas, validasque, & efficaces esse, & fore, sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sancta Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere legatos, ac Sedis Apostolicæ nuncios iudicari, & diffiniri, & nihilhominus Prioratum vnum ac vnam quorum viginti quatuor computatis verò di-

stri-

stributionibus quotidianis triginta duorum Andreæ Fortunato, ac Archidiaconatum ac alium, & aliam, quorum etiam viginti quatuor, & cũ distributionibus prædictis etiam triginta duorum, Simoni Calderaro, ac Cantoriam vnumque, & vnam quorum similiter viginti quatuor, & cum distributionibus præfatis quadraginta, Hieronymo Licari, nec non Thesaurario ac vnum, & vnam quorum similiter viginti quatuor, & cum distributionibus quotidianis aliorum quadraginta sex, Donato de Donatis, ac Archipresbyteratum, nec non vnum, & vnã quorum aliorum viginti quatuor, & cum distributionibus præfatis quadraginta sex Iosepho etiam de Donatis, ac vnum, & vnam Dominico Pisano; aliumque, & aliam Iocobo de Benedicto; nec non alium, & aliam, Hieronymo Marino, atque alium, & aliam, Iosepho Barbaro, aliumquoque, & aliam Antonino Marescalco, nec non etiam alium, & aliam Francisco Vassallo; aliumque, & aliam Placido Mangelardo, alium, & aliam Francisco etiam Marescalco, reliquumque, & reliquam ex reliquis nouem Canonicatibus, & præbendis præfatis, quorum singulorum, & illius forsan annexorum, etiam viginti quatuor, & distributionibus præfatis triginta duorum ducatorum auri de camera, fructus, redditus, & prouentus secundum communem existimationem valorem annuum non excedunt à primæua illorum erectione, & institutione huiusmodi vacantes Didaco Fernandes præfatis ad illos, & illa à

præ-

præfato Vincentio Episcopo, vt præfertur pro hac prima vice electis, & nominatis cum illis forsan annexis, & plenitudine Iuris Canonici, ac omnibus Iuribus, & pertinentijs suis dicta Apostolica authoritate conferimus, & de illis etiam prouidemus. Quo circa dilectis filijs causarum Curiæ Cameræ *Apostolicæ Generali Auditori, ac nostro in Vrbe eiusque districtu, nec non venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Messanensis Vicarijs in spiritualibus Generalibus per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta, quæcumque vbi, vel quando opus fuerit, ac quoties pro parte modernorum, & pro tempore existentium Episcopi, ac Capituli, & Canonicorum Ecclesiæ Pactensis, seu alicuius eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant, authoritate nostra easdem præsentes litteras, & in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum inuiolabiliter obseruari, ipsosque modernos pro tempore existentes Episcopum, &* Capitulum, *ac Canonicos Pactenses, eorumque Ecclesiam, ac Dignitates, nec non Canonicatus, & præbendas, ac omnia beneficia etiam amouibilia, illorumque bona præmissis omnibus, & singulis iuxtà earumdem præsentium litterarum continentiam, & tenorem pacificè fieri, & gaudere, non permittentes eos, seu eorum aliquem desuper per quos-*

quoscumque quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari, ac Andream recepto prius ab eo nostro, & Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento iuxta formam, quam sub Bulla nostra mittimus interclusam, atque Simonem, & Hieronymum Licarum, ac Donatum, & Iosephum de Donatis, & Dominicum, & Iacobum, nec non Hieronymum Marinum, atque Iosephum Barbarum, & Antonium, Franciscumque Vassallum, Placidum quoque, & Franciscum Marescalco, & Didacum praefatos, vel eorum procuratores, eorum nominibus respectiue in corporalem possessionem Prioratus, & Archidiaconatus, Cantoriae, & Thesaurariae, nec non Archipresbyteratus, ac Canonicatuum, & praebendarum, ac annexorum, Iuriumque, & pertinentiarum praefatorum inducant, authoritate nostra defendant inductos, amotis quibuslibet detemptoribus ab eisdem facientes Andream, & Hieronymum Licari, ac Donatum, & Iosephum de Donatis, & Dominicum, & Iacobum, nec non Hieronymum Marinum, atque Iosephum Barbarum, & Antonium, Franciscumque Vassallum, Placidum quoque, & Franciscum Marescalco, ac Didacum praefatos, vel eorum procuratores eorum nominibus, respectiue in corporalem possessionem Prioratus, & Archidiaconatus, Cantoriae, & Thesaurariae, nec non Archipresbyteratus, ac Canonicatuum, & praebendarum, ac annexarum, Iuriumque, & pertinentiarum praefatorum inducant authoritate nostra, & defendant inductos amotis qui-

quibuslibet detemptoribus ab eisdem facientes Andream, & Hieronymum Licarum, ac Donatum, & Iosephum de Donatis, nec non Dominicum, ac Iacobum,& Hieronymum Marinum, & Iosephum Barbarum, ac Antonium, Franciscum Vassallum, ac Placidum, nec non Franciscum Marescalcum, & Didacum, vel pro eis Procuratores præfatos ad præbendas huiusmodi in dicta Ecclesia in Canonicos Sæculares recipi, & in fratres stallo eis in Choro, & loco in Capitulo ipsius Ecclesiæ cum dicti Iuris plenitudine assignatis, ipsosque Andream, & Simonem, nec non Hieronymum Licarum, atque Donatum, & Iosephum de Donatis ad Prioratum, Archidiaconatum, & Cantoriam, nec non Thesaurariam, ac Archipresbyteratum huiusmodi respectiuè, vt est moris admitti, eisque de illorum, ac annexorum eorumdem fructibus, redditibus, prouentibus, Iuribus, & obuentionibus vniuersis integrè responderi, contradictores authoritate nostra, appellatione postposita compescendo, non obstantibus præmissis, ac nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis de exprimendo vero valore, nec non Lateranensis Concilij nouissimè celebrati, vniones, annexiones, ac incorporationes perpetuas, nisi in casibus à Iure permissis fieri prohibentis, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiæ, & mensæ Regularis Dignitatumque, officiorum, Canonicatuum, & conuentualium portionum, aliorumque beneficiorum, ac membrorum huiusmodi fundationibus, erectionibus,& institutioni-

 bus,

bus, ac illorum, & dicti ordinis etiam Iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, illis, ac ipsis ordinis superioribus, & personis in genere, vel in specie, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac quibusuis clausulis, etiam prægnantissimis, ac insolitis, derogatoriarumque derogatorijs, nec non irritantibus, & alijs Decretis, *etiam motu proprio, & de certa scientia, ac etiam consistorialiter, aut aliàs quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, & expressa mentio facienda esset illis aliàs in suo robore permansuris, latissimè hac vice tantùm, specialiter, & expressè harum serie derogamus, contrarijs quibuscumque, aut si aliqui Apostolica prædicta, vel quauis alia authoritate in dicta Ecclesia in Canonicos Sæculares sint recepti, vel vt recipiantur insistant, seu si super prouisionibus sibi faciendis de Dignitatibus, nec non Canonicatibus, & præbendis dictæ Ecclesiæ in illis partibus speciales, vel generales dictæ Sedis, aut Legatorum eius litteras impetrauerint, etiam si per eas ad inibitionem, reseruationem, & Decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum, quas quidem litteras, & processus habitos per easdem, ac inde secuta quæcumque ad Dignitates, Canonicatus, & præbendas huiusmodi, volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quòad executionem Dignitatum, & Canonicatuum, & præbendarum, ac beneficiorum aliorum præiudi-*

cium

cium generari, seu si pro tempore existenti Episcopo Pactensi, vel quibusuis alijs communiter aut diuisim ab eadem sit sede indultum quoad receptionem, vel prouisionem alicuius minimè teneantur ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; & quibusuis alijs priuilegijs, indultis, & litteris Apostolicis, generalibus, vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressam, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Volumus autem, quod per præsentem gratiam, nullum maius, aut nouum Ius quò ad collationem, & prouisionem Dignitatum (Prioratu excepto, cuius vt præfertur collatio, & prouisio quocumque modo vacet, semper, & perpetuò ad Sedem Apostolicam pertineat) ac Canonicatuum, & præbendarum præfatorum dicto Vincentio, ac pro tempore existenti Episcopo Pactensi, quàm ipsi ante Sæcularizationem huiusmodi competebat acquisitum sit, nec esse censeatur, quodque Dignitates præfatas pro tempore obtinentes, ac Canonici, & Beneficiati dictæ Ecclesiæ pro tempore existentes Decretis Concilij Tridentini, quæ de Clericis Sæcularibus disponunt, subiacere omninò debeant, quodque si aliquis Canonicus Regularis, vel Monachus ipsius Ecclesiæ ad præsens reperiatur, illi congrua portio pro eius con-

grua substentatione per Ordinarium assignetur, dicti qui Canonici, ac Dignitates obtinentes, & alij Beneficiati statuta præsertim super celebratione Diuinorum Officiorum absque præuia Sedis Apostolicæ approbatione condere nequeant, & insuper quod ipse Andreas antequam Prioratus huiusmodi possessionem assequatur fidem Catholicam iuxtà articulos iam pridem à Sede prædicta propositos in manibus Ordinarij emittere, illamque sic emissam ad dictam Sedem sine mendis cum Ordinarij, & Andreæ præfatorum subscriptione quantocitiùs transmittere teneatur, alioquin Prioratus prædictus vacet eo ipso, & insuper ex nunc irritum decernimus, & inane si secus super his à quoquam quauis authoritate contigerit attentari; per præsentes non intendimus Sæcularizationem per Ordinarium, vt præfertur, factam in aliquo approbare.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, suppressionis, extinctionis, immutationis, reductionis, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, applicationis, Indulti, collationis, prouisionis, collationis, voluntatis, derogationis, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius nouerit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quadragesimo octauo, tertio nonas Februarij,

Pon-

Pontificatus nostri anno quinto. Loco ✝ Plumbi. N. Lagnel. Quas quidem præinsertas litteras Apostolicas prædictas veras non falsas, non vitiatas, nec aliqua earum parte suspectas, sed omni prorsus vitio,& suspicione carentes esse reperimus, ideo ad instantiam D. Ioseph Donato per infrascriptum Curiæ nostræ Notarium transumi, & exemplari, ac in hanc publicam,& authenticam formam redigi mandauimus, volentes, & decernentes, quod huic nostro publico transumpto talis, & tanta fides adhibeatur, qualis, & quanta adhiberetur, si prædictæ litteræ Originales in medium exhibitæ, vel ostensæ forent, super quibus omnibus, & singulis, tamquã ritè, rectè, & legitimè factis authoritatem nostram Ordinariam, pariter, & Decretum interponendum duximus, prout interponimus per præsentes, in quorum fidem præsens publicum instrumentum fieri, & per Notarium nostrum, & dictæ Curiæ infrascriptum subscribi, sigillique nostri iussimus, & fecimus appensione muniri. Dat. Romæ ex ædibus nostris anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo nono, Indictione secunda, die verò vigesima quarta Mensis Decembris Pontificatus Sanctissimi Domini nostri, Diuina prouidentia Papæ X. anno sexto. Quæ litteræ præsentatæ Messanæ septimo Ianuarij millesimo sexcentesimo quinquagesimo, fuerunt executæ Panormi die vigesima septima Septembris millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio.

§ PRIMVS
DE
DIGNITATIBVS.

16 DIgnitates, pro vt in præfato Indulto Apoſtolico huius Cathedralis Eccleſiæ inſtitutæ, ſunt quinque, quarum Prima ex antiquo Regularium Canonicorum vocabulo retento, Prioris nomine nuncupatur, à Pontifice Maximo eligitur, vt in Bulla, eiuſque erit curæ, vt Officia Diuina debito cultu, ac pietate perſoluantur, vt ſuum vnuſquiſque munus diligentèr exequatur, ſtatutæ horæ Sacriſtiæ affixę, pro vt in tabella pro campanarum pulſatione ad Officium recitandum, vt obſeruentur, inuigilare, & defectus omnes in Choro corrigere.

17 Epiſcopo ſolemnitèr celebranti, vel Pontificalia exercenti cum cœteris Canonicis aſſiſtet, aſperſorium Epiſcopo in ingreſſu Eccleſiæ præſente Capitulo Cathedralis indumentis Canonicalibus redimito miniſtret, & abſente Epiſcopo, ad ipſum ſpectat ſolemnia Miſſarum, ac Veſperas diebus ſolemnioribus concinere, nec non delationem Sanctiſſimi Sacramenti in feſtiuitate Corporis Chriſti peragere, vel ſucceſſiuè ad alias Dignitates, aut ſenio-

rem

rem Canonicum priuatiuè quòad ipsum Vicarium Generalem; benè tamèn, & si huiusmodi Dignitas prima sit post Pontificalem in nostra Ecclesia Cathedrali, in Choro tamèn eius stallum est secundum, videlicèt in cornu dextero in latere Episcopi, quia primum stallum in cornu sinistro est Vicarij Generalis, qui incedit in habitu Vicariali, & præsente, vel absente Episcopo, habet primum locum suprà omnes Dignitates, & Canonicos in Ecclesia, Choro, Processionibus, etiam cum pluuiali, quando alij Canonici sunt parati, Synodo, & alijs publicis, & priuatis actibus, ac etiam in Octaua Corporis Christi, si non est impeditus, defert in processione Sanctissimum Sacramentum. Quandò verò Vicarius Generalis est de corpore Capituli incedit in suo habitu Canonicali, habetq; supradictas omnes præeminentias, sed non lucratur in Choro quotidianas distributiones, nisi sit in proprio stallo sui Canonicatus.

18 Secunda huius Cathedralis Dignitas est Archidiaconi, qui Græco vocabulo in latinum translato, rectè ministrorum Princeps interpretatur, & à Sacris Canonibus oculus Episcopi nuncupatur, cum debeat omnia circumspicere, & quæ correctione indigent, quæque agenda sunt pro Ecclesiasticæ disciplinæ incremento nobis indicare, Episcopo in Pontificalibus à dex-

à dextris assistit, cum ei vt Collateralis Minister, & adiutor à Sacris Canonibus assignetur, absente Priore, ipse cum sit subsequens in Choro, vel alter successiuè præesse debet, eaque omnia curabit, quæ ad Prioris officium pertinent, & cum eadem potestate. Quarè cœteris quibuscumque præcipimus, nè in Choro, vel alibi iubere, aut aliquem corrigere audeant, neque munus non debitum vsurpent, ipsum verò Archidiaconum, vel alium in eius locum succedentem in eius absentia hortamur, vt Officiorum Diuinorum religionē curet, defectus corrigat, & absentis vices ità suppleat, tamquàm si eius muneris esset, eiusque conscientiam oneramus, & Deo rationem redditurum monemus. Quarè si in magna absentia primæ Dignitatis, secundam, quæ de Iure præesse debet, vel tertiam, quæ secundæ succedit, vel aliam, negligentia maxima laborare nouerimus, nè Cultus Deo exhibendus decrescat, excessus, aut defectus impuniti remaneant, & dùm omnes silent, superior minimè noscatur, & tanquàm oues sine Pastore Choristæ abeant, præfectura huiusmodi negligentes priuabimus, alterique Dignitati, quæ eis succedit prȩsidendi munus demandabimus.

19 Fuit hȩc Dignitas in nostra Cathedrali Ecclesia olim, & antiquissima, cui, & Iuris dicendi etiam potestas erat annexa, sed

ſed hodie poſt Tridentinum; & poſt ſuppresſionem factam ab Illuſtrisſimo Domino Epiſcopo D. Bartholomæo Sebaſtiano cum conſenſu, & aſſenſu Capituli, & præſentis tunc Archidiaconi huiuſmodi Iuriſdictio cum præeminentijs antiquis ceſſauit, & perpetuò applicata, & appropriata fuit Ordinario, vndè in praxi obſeruatur, quòd ad Epiſcopum, ſeù eius Vicarium Generalem ſpectat circà obſeruantiam feſtorum, inuigilare iuxtà Bullam Pij V. quæ incipit (cum primum) & titulum Patrimonij in ordinandis examinare, deque eius ſufficiētia, validitate, quantitate, moderamine, & omnia alia, quæ ei antiquitùs ſpectabant videre; verumtamen eſt, quòd etiam hodiè, ex commisſione tamen Epiſcopi Patrimonij Clericorum ſcripturam videt recognoſcit, & refert.

20 Tertiam Cantor obtinet Dignitatem, qui in abſentia Prælatorum, ea omnia, quæ ad prædictos attinent, perficiet. Peculiare autèm eius munus erit ſuis temporibus Choro intereſſe, lectiones, antiphonas, & prophetias diſtribuere, & Chorum regere, cùm Chori moderator à Sacris Canonibus dicatur, Epiſcopo, aut aliquo ex Canonicis vita functo, publicis, priuatiſque functionibus illorum animas iuuare, ſedulò curabit. Dumque Sedes per obitum Epiſcopi vacauerit, vt ſeruetur Bulla B. Pij V. quòad ornamenta, pa- *in Bulla incip. Rom. Pont. Cbe rub. tom. 2.*

 ramen-

ramenta, res Sacras, aliaque bona ad vsũ, & Cultum Diuinum ſpectantia.

22 Theſaurarij Dignitas quarta eſt in hac Eccleſia Cathedrali; cuius erit munus ſacram omnem eiuſdem ſupellectilem, iocalia, & vaſa ſancta diligentèr ſeruare. Ex quibus nihil omninò ſine expreſſa Epiſcopi facultate alicui commodari poſſit. Earum autèm vſum non alicui particulari applicet, ſed omnibus indiſtinctè, quamuis ſeparatim Canonicis, & reliquis Præsbyteris aſſignari deceat.

22 Quintam tandem in hac Eccleſia Archipræsbyter obtinet Dignitatem, qui coadiutores habet aliquos ex Capituli Cappellanis, quibus Sacramentorum adminiſtratio per Nos eſt conceſſa, quique per hebdomadam Parochi onera ſuſcipiunt; ad ipſum pertinet ea omnia, quæ pro Parochis ſuperiùs ſunt notata, ſciatque cum ſit noſtræ Cathedralis Parochus ad ea omnia teneri, pœniſque inibi expresſis ſubiacere; quin ſicuti reliquos Parochos dignitate præcedit, curet exemplo præcellere.

23 In funeribus Defunctorum (niſi defunctus ſit Canonicus) quibus Capitulum accedit, ſtola ab vno ſuorum Coadiutorum defertur, qui poſtremus Cappellanorum antè Canonicos immediatè incedit: Si vero fuerit Canonicus ipſemet Archipresbyter, ſtola induatur, locum tamèn ſuum

non

non mutabit. Eo autèm absente, primus Canonicus eius exequetur Officium, & sic successiuè. Intelligendum autèm hoc de absentia, quæ non requirit de Iure substitutum, hoc enim casu substitutus à nobis Canonicus qui Parochi vices supplebit, omnia Archipræsbyteri suscipiat munera, etiam in stola deferenda, & in huius absentia, ei inferior Canonicus succedat.

§ SECVNDVS DE CANONICIS.

24 Canonici simul cum Dignitatibus in habitu Canonicali, scilicet cũ mozzetta nigri coloris super rocchettum, curent Diuina, ea, qua par est reuerentia, & deuotione peragere, non nimis properè, sed clarè, & distinctè Officium recitando, & Missas canendo cantu diei solemnitati proportionato, ceremoniasque omnes exoluant, quæ in Cæremoniali Romano iussu Clementis VIII. edito, & ab Innocentio X. recognito, prescribuntur, omnes verò Diuina per se, & non per substitutos obire debent officia, ità vt ipsis presentibus, & non legitimè impeditis alijs committi nequeant, ipsis autèm absentibus, aut impedimento detentis succedant se- *S. Congr. & Cærem. Rom.*

 quen-

quentes, ordinatè, videlicèt primę Dignitati secunda, & sic successiuè vsquè ad vltimum Canonicum.

25 Cùm in Bulla Sœcularizationis supracitata disponatur, quòd omnes Canonici, Beneficiati, Choristæ, & Sacristę apud Ecclesiam continuò personalitèr residere, ac in illa singulis diebus horas Canonicas pariter, & nocturnas, Conuentualem, & alias Missas, Anniuersaria, & alia Diuina Officia, ac Suffragia decantare, & recitare, illisquè personaliter interesse, ac alijs in Diuinis laudabiliter, vt decet, deseruire debeant, & teneantur.

26 Et in illa etiam ordinetur, vt fiat diuisio, seù separatio distributionum quotidianarum à prębendis iuxtà prouidam desupèr faciendam repartitionem: ac etiã ibi concedatur Episcopo, & Capitulo, & Canonicis, vt pro fœlici, & prospero dictę Ecclesię sic ad Sœcularitatem reductę, illiusque Capituli per pręsentem erecti gubernio, & directione, Ministrorum pręfatorum admissione, & receptione, ac residentia, & interessentia, Capitulis celebrandis, Officialibus necessarijs deputandis, & tenendis, seruitijs, & ministerijs ab ipsis obeundis, ac alijs circà præmissa, necessarijs, & opportunis; quęcumque statuta, ordinationes, & Decreta, licita tamèn, & honesta, ac Sacris Canonibus, Concilijque Tridentini huiusmodi Decretis, ac Con-

Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis minimè contraria facere, condere, & edere, ac poſt expediens videbitur illa immutare, limitare, corrigere, declarare, ac interpretari, & in meliorem formam redigere, ſeù alia de nouo, & integro facere, & edere, liberè, & licitè poſſint, & valeant.

27 Hinc Reuerendiſſimus noſter Prędeceſſor Ludouicus de los Cameros anno ſequenti 1654. die 8. Decembris in diſcurſu Viſitationis ijs innixus poteſtatibus, & conceſſionibus prouidit, & ordinauit inter alia *Decreta*: ponatur in diſtributione quotidiana, integra medietas omnium, & ſingulorum fructuum, & prouentuum, tàm qui ad preſens ſunt, quàm qui ſunt accreſcendi omnium, & ſingulorum Dignitatum, & Canonicorum huius pręfatę Cathedralis ad effectum, vt diſtribuantur intèr pręſentes de Capitulo iuxtà diſpoſitionem Sacri Concilij Tridentini, itа tamen, quòd poſt augmentum faciendum, tertia pars non ſit ſufficiens pro diſtributionibus, quia ſi fuerit ſufficiens, tertia pars, non dimidia pro diſtributionibus remanebit: eodem modo ponantur in diſtributione duę tertiæ partes omnium, & ſingulorum ſalariorum, Cappellanorum, Choriſtarum, & Sacriſtarum, ad effectum, vt inter pręſentes de Choro diſtribuantur, vt ſuprà.

28 Ac insuper die 2. Septembris 9. Indict. 1655. pro vt in actis Magnę Curię Episcopalis declarauit, quę sint prębendę, & salaria debita, & debenda pro seruitijs personalibus dictę Cathedralis Ecclesię, eiusque Reuerendi Capituli, omnibus Dignitatibus, & Canonicis, Cappellanis, Choristis, Sacristis, & alijs competentia.

29 Idcircò pro conscientię nostrę, Canonicorum, aliorumque serenitate, vt Nos conformes reddamur Sacris Canonibus, Tridentino Concilio, fundationi, Bullę Sœcularizationis, ac Nostrorum Prędecessorum Ordinationibus precipimus, quòd omnes, & singulę Dignitates, & Canonici, Cappellani, Choristę, ac Sacristę, ad hoc, vt præfatas lucrentur quotidianas distributiones, teneantur interesse pręsentia reali, & cum effectu singulis diebus horis Canonicis, alijs Diuinis Officijs, & Suffragijs, aliàs illis careant pro ratha temporis, quo sic non interfuerint, & presentibus accrescant, quauis collusione, & remissione exclusa, exceptis tamèn in Iure expressis causis ex Bonifacio Papa VIII. videlicèt infirmitatis, vel rationabilis corporalis necessitatis, seù Ecclesię suę vtilitatis, aut alijs casibus à Sacra Cardinalium Congregatione sępè declaratis.

30 Si quis autèm non venerit ad Matutinum antè finem secundi Psalmi, & ad Matutinum Dominicę antè finem Psal-

mi

mi 4. pro absente habeatur, ac illius temporis distributione careat, excepto Matutino in Hebdomada Pasche, & Pentecostes, vbi antè finem primi Psalmi debet interesse: Similitèr in Laudibus, & ceteris horis, si quis aduenerit post primum Psalmum pro absente habeatur, vt supra: in Missa verò cantata si quis post Kyrieeleison venerit, eamdem pœnam subeat. Verùm reprehensibile esset presentes in Ecclesia de industria aduentum in Chorum in extremum temporis punctum differre.

31 Infirmi, qui infirmitate vera, & nō simulata detinentur, ità vt per Ciuitatem prolibito non deambulent, quotidianas percipiunt distributiones in absentia, si dum erant sani consueuerant interesse Diuinis Officijs, aliàs non percipient distributiones, nisi secundùm illud tempus, quo soliti erant interesse, quando sani videbantur.

32 Absentibus distributiones ademptæ solùm actu præsentibus, & inseruientibus accrescunt; non verò alijs, qui Iurisfictione censentur interessentes, putà, qui absunt ex causa infirmitatis, vel ob Ecclesiæ suæ vtilitatem, aut iustam, & rationabilem corporis necessitatem, vel alio quouis modo.

33 Supplementa præbendarum, & salariorum, quæ soluuntur Capitulo, Cappel-

pellanis, Choriſtis, & Sacriſtis diuidantur, & diſtribuantur, vt olim per Illuſtriſſimum, & Reuerendiſſimum Epiſcopum D. Vincentium de Neapolis fuerunt aſſignata in actis Notarij Placidi Tinghino quarto Iunij prima Indict, 1648. & completa iam ſatisfactione annua dictarum præbendarum, & ſalariorum reſpectiuè cuilibet illorum ſpectante, poſtea debeant ſolui alia ſupplementa Capitulo ab Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Epiſcopo de los Cameros aſſignata in actis M. C. E. die 2. Septembris IX. Indictionis 1655. quia æquum, & iuſtum non eſt priorum aſſignatione anterioritati præiudicium inferre, declarando abuſum, & corruptelam, & à mente Teſtatoris, ſeù donantis omnino alienum eſſe id, quod aliter vſque modo actum eſt, & præcipimus Depoſitario pro tempore ſatisfaciendi de proprio ſi huic ordinationi aliàs à noſtris Prædeceſſoribus factæ non obediat, vltrà alias pœnas ad noſtrum arbitrium infligendas, eis, qui ſubſcripſerint mandatum aliter ac à nobis eſt diſpoſitum; & declaratum.

34 Mulctæ verò, quæ miniſtris pro ſuis miniſterijs non perſolutis, itèm Choriſtis, Sacriſtis, Muſicis, Organiſtæ, vel alijs in pœnam alterius defectus, quàm abſentiæ à Choro irrogantur, quibus præcipitur, vt partem, vel integram diei diſtributionem, vel maiorem amittant; inter

præ-

præsentes in Choro minimè sunt diuidendæ, sed pauperibus, aut pijs operibus erogandæ ad arbitrium Episcopi.

35 Capitulum non potest, neque Episcopus remittere, aut donare distributiones ei, qui non interest diuinis officijs, & qui absẽs illas perceperit illarũ nullatenus dominium acquirit, sed ad restitutionem tenetur; nullas, & irritas declarantes quascumque conuentiones, pacta, donationes, remissiones, aut alias collusiones, vt potè Sacri Concilij Trid. Decretis aduersantia, quapropter in Christo monemus, vt omnes resideant, interueniant, & non absint à Choro, aliàs memores sint quòd absque iusta causa eos à distributionum, & præbendarum amissione excusante, mulctam à Iure latam non euitabunt. *Sess. 24.c.12.*

36 Vnusquisque Canonicorum in proprio, & non in alieno stallo permanere debet quandocumque, & quacumque ex causa maiores abesse contigerit, prætérquam cum ad osculum pacis accedere debent, nec decet inferiores Canonicos maiorum Canonicorum subsellia pertransire, sed per viam in medio Chori vt ad sua stalla sine maiorum molestia perueniant, ingredi debent.

37 A Choro sine Prioris licentia, vel illius, qui ob eius absentiam præest nemo discedat; qui verò contrarium fecerit punctationis pœnam ad Præfecti benepla-

citum vt supra patiatur, at si aliqua iusta de causa recedit ad Chorum statim reuersurus, satis est si veniam à Chori Præfecto capitis inclinatione, vel nutibus obtineat. Ceremonias pariter obseruent stando, sedendo, genuflectendo, caput cum bireto Clericali cooperiendo, aut detegendo, aut inclinando iuxtà rubricæ præscriptum. Priuatim officium non recitent, nec libros, aut litteras legant, & à risu, & confabulationibus omninò abstineant: Chirotecis, vel manicis in Choro minimè vtantur, & in egressu, vel ingressu ordinem seruent; nemo sine proprijs insignibus accedat, quibus non nisi in Sacristia, & non in medio Ecclesiæ vel alibi indui debet.

38 Episcopo celebranti, etiam in Ecclesijs priuatis, aut Pontificalia exercenti assistere, & inseruire debent, eumque cum ad Diuina Officia in Ecclesia Cathedrali est ingressurus tùm euntem, tùm redeuntem de more vsque ad ædes comitari, videlicet præcedente Clero processionaliter cum Cappellanis, Canonicis, & Dignitatibus, sistentibus, & astantibus Clero in prima aula, Cappellanis, & Choristis in secunda, & Canonicis, & Dignitatibus cū suis insignibus ingredientibus tertiam aulam, ac sedentibus cum Episcopo vsque dum veniant vna simul armorum Capitaneus, quatuor Iurati, ac Magister Nota-

rius

rius Ciuitatis, qui omnes eodem ordine redeunt ad Ecclesiam, & isti venientes vsque ad tertiæ aulæ ianuam recipiunt benedictionem ab Episcopo exeunte, & vltimo eum sequuntur. Præparatum sit in Ecclesiæ Ianua aspersorium, quod recipiēs Episcopus à prima Dignitate signat se, post modùm Canonicos, & post ipsos, Magistratum. Cum verò Episcopus regreditur ab Ecclesia seruetur idem quod suprà circà processionem in comitatu, itaquèd in prima ianua Palatij Magistratus, qui erat vltimus accipiat benedictionem, & redeat, similiter Dignitates, & Canonici, qui alam fecerant intus primam aulam accipiant benedictionem, & similiter retrocedant; Clerus verò sistat in prima aula, vsque dum Episcopus ingrediatur secundam ianuam sui palatij, & eodem modo sistant Mansionarij in secunda aula vsquedum Episcopus intrat suam vltimam ædem, qui versus ad illos benedicat. Pro huiusmodi autem associatione non permittatur excusatio, & si quandoque aliquam horam tempore statuto propter extraordinarias diei occupationes non posse recitari iudicabitur, Magister Ceremoniarum ad Nos referat, vt à Nobis ordinetur quid in Domino expediat. Ordinem in processionibus publicis alibi notauimus.

39 Libros 42. à fœlicis recordationis

D. Ignatio de Amico nostro Prædecessore ex scripturis, & priuilegijs, & rebus gestis eius diligentia, & sumptibus compilatos, ac insuper omnes alias scripturas, & varia antiqua diplomata tàm Apostolica, quàm Regia, etiam in originali conseruata in quadam arca magna in Sacristia huius Cathedralis Ecclesiæ tribus distinctis clauibus, quarum prima debet esse penès Vicarium Generalem huius Episcopatus, tàm in Sede plena, quam tempore Sedis Vacantis, secunda penès Priorem, & tertia penès Thesaurarium Canonicum iuxtà dispositionem ab eo factam, & ab alijs nostris Prædecessoribus confirmatam nullatenus supranominati tres Conseruatores omni futuro tempore, nec etiam minimum folium inde extrahi patiantur absque eorum simul reali præsentia, & vno ipsorum, aut pluribus legitimè impeditis poterit clauis consignari vni, vel alijs ex Dignitatibus, & in defectu earum vni, vel alijs Canonicis successiuè: in casu autem quòd vnus ex dictis tribus Conseruatoribus fuerit electus Vicarius Generalis succedat Archidiaconus, in cuius defectu subintret alia Dignitas, aut Canonicus ordine suo.

40 Si verò occurrerit, aliquem librum, aut scripturam, etiam vnius minimi folij ab Archiuio extrahi debere, huiusmodi

cassæ

cassæ aperitio, & folij extractio non fiat absque Capituli facultate, & tunc in præsentia trium dictorum Conseruatorum clauium vt suprà, & qui librum, scripturas, aut folium extractum acceperit, notam, seu receptionis fidem propria manu subscriptam relinquere teneatur, vt Priori consignetur; quæ omnia sigillatim ab omnibus sub pœna vncearum quatuor, vltra alias ad nostrum arbitrium infligen das seruari mandamus.

41 Præterea ordinamus, quòd Procurator, Cancellarius, aut alius officialis in fine sui officij, cum computa dederit, totam scripturam, seu librum, quem tempore prædicti officij notauit, aut scripsit, omninò, & inuiolabilitèr in prædicto Archiuio reponere teneatur sub pœna vncearum duarum.

42 Sequuta morte cuiuslibet Dignitatis, aut Canonici, aut Cappellani, vel Choristæ, Sacristæ, aut alterius de Clero, prębenda, & quicquid aliud ei spectaret si viueret, tempore huiusmodi vacantiæ non accrescat alijs viuentibus de Capitulo, aut Clero, sed omninò Ecclesiæ cedat, ac relinquatur, nec quouis titulo ab Ecclesia auferatur.

44 Deputentur insuper à Nobis, vt consuetum est Depositarius, & alius Æconomus, seu procurator huius Ecclesiæ Cathedralis distinctus ab Æconomo men-

sæ

ſæ Capitularis, ac etiam duo alij Canonici, qui Deputati Eccleſiæ nuncupentur, eorumque curæ erit, vt in aliquo peculiari libro diſtincto ab illo Capituli, dati, & accepti per dictum Æconimum, & Depoſitarium rationes examinent, & mandata ſubſcribant cum noſtro Bene ſtat firmata, vt in fine cuiuslibet anni liberatio cum noſtra approbatione fiat, nec non attendant etiam quolibet anno in menſe Septembris, vt inuentarium rerum omnium fidele conficiatur, & nouitèr electo conſignetur, & ſic ſucceſſiuè, idem ſimiliter obſeruetur pro rebus Sacriſtię, videlicèt quòd ſingulis annis renouetur inuentarium omnium dictarum rerum, & Canonico Theſaurario conſignetur, cui ex officio incumbit earum curam habere, addendo quę denouo fuerint facta, & hoc in præſentia trium priorum Dignitatum, & trium priorum Canonicorum.

44 Declaramus ne in poſterum aliqua ſuboriatur controuerſia interueniente Capitulo concionibus tempore Aduentus, vel Quadrageſimæ, aut alia qualibet occaſione, & Epiſcopo pręſente, poſt ſalutationem à Concionatore Præſuli factam Magiſtratum ſalutari debere; Epiſcopo verò absente, vel Sede vacante, neque Capitulo, neque Ciuitati ſalutationem fieri, quoniam ſic olim Canonici cum interuentu Epiſcopi proceſſerunt ex pacto, & ita obſerua-

ſeruatum eſt, & vſque modo huiuſmodi obſeruantia vireſcit in hac Pactenſi Eccleſia Cathedrali; Epiſcopo item ſiuè preſente, ſiuè abſente, thus eodem tempore, ſicut, & pax Capitulo, & Ciuitati detur, excepto quando Canonici fuerint parati, nam tunc eis primus datur locus, & poſtea Magiſtratui, vt in praxi obſeruatur.

45 In Feſtis Sanctorum de Præcepto, nec non Dominicis Aduentus, & à Septuageſima vſque ad Paſcha ſingulis diebus Dominicis Dignitates, & Canonici Miſſam decantabunt pro vt ſequens indicat tabula.

TABVLA

SECVNDVM ORDINEM Diſpoſita eorum,

Qui in Eccleſia Cathedrali Diuina Officia ſunt celebraturi.

MENSE IANVARIO.

Die 1. Circumciſio Domini.

Reuerendus Archidiaconus.

Die 6. Epiphania Domini

Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Dominus

nus Episcopus.
Omnes Canonici parati.
Festa mobilia annunciabit Reu. primus Canonicus.

MENSE FEBRVARIO.

Die 2. Purificatio B. M. V.

Reu. Prior.

Die 5. S. Agathæ V. & M.

Reu. Sextus Canonicus.

Die 24. Sancti Matthiæ Apost.

Reu. Secundus Canonicus.
Die 27. Commemor. anniuers. Regis Rogerij. Reu. Tertius Canonicus.

MENSE MARTIO.

Die 19. S. Ioseph Vrbis P.

Reu. Cantor.

Die 21. S. Benedicti.

Reu. Archidiaconus.
Die 25. Annunciat. B. M. V.
Reu. Primus Canonicus.

MEN-

MENSE MAIO.

Die 1. ss. Philippi, & Iacobi Apost.

Reu. Tertius Canonicus.

Die 3. Inuent. Sanctæ Crucis.

Reu. Quartus Canonicus.

MENSE IVNIO.

Die 24. Natiuit. S. Ioannis Baptistæ.

Reu. Thesaurarius.

Die 25. Commemor. S. Febroniæ.

Reu. Sextus Canonicus.

Die 29. ss. Apostol. Petri, & Pauli.

Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Episcopus.
Omnes Canonici parati.

MENSE IVLIO.

Die 5. S. Febroniæ Pactensis V. P. Principalis cum Octaua.

Reu. Archidiaconus.

Die 25. S. Iacobi Apost.

Reu. Secundus Canonicus.

Die 26. S. Annæ Matris B. M. V.

Reu. Sextus Canonicus.

MENSE AVGVSTO.

Die 10. S. Laurentij Mart.

Reu. Primus Canonicus.

Die 15. Assumpt. B. M. V.

Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Episcopus.
Omnes Canonici parati.

Die 24. S. Bartholomæi Apost. Cathed. Patroni

Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Episcopus.
Omnes Canonici parati.

Die 25. Dedicat. Eccl. Cathedralis Pactensis.

Reu. Prior.

MEN-

MENSE SEPTEMBRI.

Die 8. Natiuit. B. M. V.

Reu. Archipresbyter.

Die 21. S. Matthai Apost.

Reu. Tertius Canonicus.

Die 29. Dedicat. S. Michaelis Arthangeli.

Reu. Nonus Canonicus.

MENSE OCTOBRI.

Die 28. ss. Apostol. Simonis, & Iudæ

Reu. Quartus Canonicus.

MENSE NOVEMBRI.

Die 1. Fest. Omnium Sanctorum

Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Episcopus.
Omnes Canonici parati.

Die 2. Commemor. Omnium Fidel. Defunctorũ.

Reu. Archipresbyter.

Die 3. *Anniuerſ. Reginæ Andalaſiæ.*

Reu. Secundus Canonicus.

Die 5. *Anniuerſ. Epiſcoporum, & Canonicorum.*

Reu. Quartus Canonicus.

Die 30. *S. Andreæ Apoſt.*

Reu. Septimus Canonicus.

MENSE DECEMBRI.

Die 8. *Imm. Concept. B. M. V.*

Reu. Cantor.

Die 21. *S. Thomæ Apoſt.*

Reu. Secundus Canonicus.

Die 24. *Vigilia Natiuit.* Domini.

Martyrologium leget Magiſter Ceremoniarum.

Die 25: *Natiuit.* D. *N. I. Chriſti.*

Primam Miſſam in nocte cantabit Reu. Prior.

Ter-

Tertiam Miſſam in die cantabit Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Dominus Epiſcopus.

Omnes Canonici parati.

Die 26. S. Stephani

Reu. Theſaurarius.

Die 27. S. Ioannis Apoſt.

Reu. Quintus Canonicus.

Die 28. ss. Innocentum.

Reuer. Septimus Canonicus.

Die 31. S. Syluestri Papæ.

Reu. Nonus Canonicus.

DISTRIBVTIO FESTORVM Mobilium.

Dominica in Septuageſima. Reu. Quintus Canonicus

Dominica in Sexageſima. Reu. Sextus Canonicus.

Dominica in Quinquageſima. Reu. Nonus Canonicus.

Feria Quinta Cinerum. Reu. Prior.

Do-

Dominica prima Quadragesimæ. Reuer. Primus Canonicus.
Dominica secunda Quadragesimæ. Reu. Octauus Canonicus.
Feria 2. Anniuers. Episcoporum, Canonicorum, & plurimorum Defunctorum Reu. Septimus Canonicus.
Dominica tertia Quadragesimæ. Reuer. Quintus Canonicus.
Dominica quarta Quadragesimæ. Reu. Tertius Canonicus.
Dominica Passionis Domini. Reu. Quartus Canonicus.
Dominica Palmarum. Reu. Prior.
Feria Quinta in Cœna Domini, Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Episcopus.
Omnes Canonici parati.
Feria sexta in Parasceue. Reu. Cantor.
Sabbato Sancto. Reu. Archipresbyter.
Dominica Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi. Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Episcopus.
Omnes Canonici parati.
Feria secunda Paschæ. Reu. Thesaurarius.
Feria tertia Paschæ. Reu. Primus Canonicus.
Dominica in Albis Reu. Quintus Canonicus.
In Ascensione Domini Nostri Iesu Christi. Reu. Archidiaconus.
Vigilia Pentecostes Reu. Archipresbyter.

Do-

Dominica Pentecostes. Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Episcopus.
Omnes Canonici parati.
Feria secunda Pentecostes. Reu. Cantor.
Feria tertia Pentecostes. Reu. Octauus Canonicus.
In Festo SS. Trinitatis Reu. Septimus Canonicus.
In Solemnitate SS. Corporis Christi provt disponet Dominus Episcopus.
Feria sexta infra Octauam. Reu. Archidiaconus.
Sabbato infra Octauam. Reu. Cantor.
Dominica infra Octauam. Reu. Thesaurarius.
Feria secunda eiusdem. Reu. Archipresbyter.
Feria tertia eiusdem Reu. Primus Canonicus.
Feria quarta eiusdem Reu. Secundus Canonicus.
Feria quinta Octaua eiusdem. Reu. Tertius Canonicus.
Processionem serò celebrabit Reu. Vicarius Generalis.
Dominica prima Aduentus. Reu. Nonus Canonicus.
Dominica secunda Aduentus. Reu. Octauus Canonicus.
Dominica tertia Aduentus. Reu. Quintus Canonicus.
Dominica quarta Aduentus. Reu. Quartus Canonicus.

47 Si infra annum occurrent aliæ Missæ Canonicales extraordinariæ, cantabunt per vices Sextus, Septimus, Octauus, & Nonus, Canonici, vt fiant æquales in onere cæteris antedictis. Reliquis verò diebus Hebdomadarij.

48 Qui ex prædicto Capitulo pro tempore (Choro, procesſionibus Ecclesiæ de quibus in hoc §. de Canonicis, & alijs locis) præerit, curet obseruari ab omnibus, & singulis omnia supradicta decreta, & ordinationes iuxtà illarum tenorem, posſitque pro earum obseruatione mulctare inobedientes, seu transgressores de Clero, & eorum quemlibet, etiam pœna pecuniaria vsque ad illam summam, quæ proportionata iudicabitur, attenta persona qualitate, ac alijs circumstantijs delicti; quam pœnam, iusta tamen existente causa, semel irrogata nullatenus iam remittere posſit absque nostra expressa licentia; si verò transgressores fuerint de Capitulo, & defectus non sit grauis teneatur qui preerit eum monere, & si ei videbitur Nos etiam certiorare, at si grauis, (quod absit) erit talis excessus ad Nos omninò deferat vt puniatur, aliàs ipsi Præsidenti defectus aliorum imputabuntur.

§. TER-

§ TERTIVS

DE

CONGREGANDO CAPITVLO, rebusque in ipso tractandis.

49 Capitulum cogere ad Priorem spectat, & in eius defectum ad sequentem Dignitatem, poterit tamen ab Episcopo quoties opus fuerit cogi, in eoque siuè per se, siuè per alium quicquid oportuerit proponere. Volumus autem, vt Capitulum congregandum, si res agenda sit alicuius momenti, pridiè nuncietur, nisi quando imminens necessitas, & periculum in mora aliter fieri compellat. Omnesque qui interesse tenentur, nisi legitimè sint impediti non absint, nec à Capitulo recedant, nisi rebus discussis, & facto signo ab illo, qui præest, sub pœna tarenorum sex; quicumque autem intererunt, etiam si pauci, dummodo alijs nunciatum fuerit qua hora Capitulum sit congregandum finito Campanulæ sonitu, congregati in loco solito Capitulum efficiunt, & quicquid ab eorum maiori parte decretum fuerit omninò validum, firmum, legitimum, & Canonicum intelligatur; ab omnibusque id obseruari volumus, ac si à maiori parte totius Capituli sancitum esset.

50 Capitulum in ſacello Cathedralis congregandum erit, nec alibi congregatum vllius ſit roboris ac momenti, neque aliquid Capituli nomine ſubſcribatur quin Capitulariter ſit concluſum, cui abſentes etiam infirmi per alium ſuffragium ferre nequeunt. Volumus autem, vt re diſcuſſa, per vota ſecreta ſuffragium feratur, & quicquid maior pars concluſerit in ſcriptis per Cancellarium redactum, ſi res alicuius ſit momenti ſubſcribatur; alias nullius ſint roboris, & valoris, quæ in ſcriptis nullatenus redacta inueniuntur. Cancellarius autem numerum, & nomina eorum, qui interfuerunt, & à quot votis cõcluſum fuerit notabit.

51 Si rixæ inter Capitulares oriantur, vel contumeliæ, ſtatim nobis referatur, vt delinquentem iuxtà criminis qualitatem punire valeamus, quare nullus ſuum dicentem votum audeat obiurgare, nec impedire, ſed ordinatè iuxtà cuiuſque gradum ſententiam dicant, & tunc licebit votum alterius comprobare, aut reprobare rationibus tamen, non conuicijs, aut ſcommatibus.

52 Statuimus autem, vt in Capitulo, in quo agitur de intereſſe alicuius Canonici, tam ipſe, quam alij Canonici conſanguinei, vel affines in primo gradu à Capitulari congreſſu arceantur. Si autem agatur de intereſſe alicuius perſonæ non

Capitularis ingressum Capituli Canonicis coniunctis vt suprà etiam prohibemus; in causa enim propria vel suorum nemo Iudex, vel rarò rectus esse potest. Præcipimus insuper, vt quicquid capitulariter gestum fuerit omninò secretò teneatur, nec alteri, quam Episcopo interroganti aut inter se, denunciari possit; quicumque enim huic ordinationi contraire præsumpserit voce actiua per sex menses careat, & tertia parte fructuum priuabitur, cuius tertia pars denuncianti, & probanti applicanda erit.

53 Quolibet mense de rebus ad Canonicos pertinentibus differendum Capitulum congregari iubemus, & quoties pro emergentibus quibuslibet negotijs opus fuerit. Insuper quolibet anno pro eligendis Capituli officialibus in mense Septembri indispensabiliter congregetur.

54 Capitulum, in quo differendum, atque stabiliendum erit de alienatione, seu concessione bonorum ad mensam Capituli pertinentium inconsulto Episcopo non cogatur, sub pœna nullitatis, neque aliquid de mensa Capitulari est cedendum, vel de eo est facienda apocha, seu cautela nisi ex voto maioris partis in Capitulo congregatæ, aliàs cautelæ huiusmodi secretò, vel seorsim ab alijs factæ nullius sint roboris, & valoris.

55 Officiales autem eligendi erunt

Æconomus, qui redditũum, & aliorum bonorum ad Capitulum pertinentium curam suscipit; Depositarius, apud quem asseruantur, quæ per Æconomum exiguntur, insuperque duo Canonici Deputati, qui dati, & accepti per Æconomum, & Depositarium rationem exigant, & quorum assensu expensiones fiant, inuentariumque conficiant quolibet anno rerum, quæ penès Æconomum asseruantur, & nouiter electo tradantur. Insuper eligendus est Cancellarius, qui vnus erit ex Canonicis, & vnus Punctator, seù Falterius, qui erit ex Cappellanis, & omnes supradicti officiales possunt post annum ad alium solum annum, & non vltrà à Capitulo confirmari, excepto Punctatore, vt dicemus.

DECRETVM III.

DE CAPPELLANIS.

56 QVos alibi Viuanderios, aut secundarios, vel præbendatos, vel alio nomine appellare consueuerunt, in nostra Cathedrali Ecclesia Cappellanorum vocabulum obtinuerunt in Canonicorum Sœcularizatione, & quidem in ip-

ſo fundationis limine Bulla Apoſtolica confirmatæ. ſex tantùm fuerunt inſtituti Cappellani ad nutum amouibiles ab Epiſcopo pro tempore, & in Sede Vacante à Capitulo dicti Epiſcopatus, quorum omnium prouiſio ad Nos pleno Iure ſpectat, vt ſupra de Dignitatibus notauimus. Sed Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus de los Cameros etiam vſque ad quindecim auxit numerum Cappellanorum ad nutum amouibilium, qui omnes ab Epiſcopo pleno Iure eliguntur, & vti poſſint almutio, pro vt tunc alij vtebantur nigri coloris, diuerſa tamen forma ab illo Canonicorum, quod Epitogium alij dicunt ſuperpelliceo induti, ita tamen quod color violaceus intra ſolis Subcantori, & Magiſtro Ceremoniarum liceat. Choro intereſſe tenentur omnibus Diuinis Officijs recitandis, Miſſiſque decantandis, prout in fundatione, & Bulla prædictis; & ordinauit, quòd ponantur eodem modo ac in Canonicis in diſtributione quotidiana duæ tertiæ partes omnium, & ſingulorum ſalariorum Cappellanorum, Choriſtarum, & Sacriſtarum ad effectum vt inter præſentes de Choro diſtribuantur, quo pacto in praxi hodie obſeruatur.

57 Cappellanos autem prędictos diuiſit in ſeptem primarios includendo Subcantorem, & Magiſtrum Ceremoniarum,

&

& alios octo secundarios, quorum munus inter alia erit ministrare celebranti Missam Conuentualem diebus feriatis in officijs Subdiaconatus, & Diaconatus.

58. Rursus die 2. Septembris IX. Indictionis millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto provt in actis Magnæ Curiæ Episcopalis declarauit præbendas, & salaria debita, & debenda pro seruitijs personalibus dictæ Cathedralis Ecclesiæ pro septem Cappellanis primarijs ad rationē vncearum sexdecim singulo anno pro quolibet Cappellano, excepto Magistro Ceremoniarum, cui debetur salarium vncearum octo vltra salarium Cappellani primarij, quæ vnceæ octo subiacere debent defectibus Magistri Ceremoniarum, non verò Cappellani, & assignauit etiam eius coadiutorem, cui in sede plena de more tres vnceæ soluuntur. Item pro alijs octo Cappellanis secundarijs ad rationem vncearum duodecim singulo anno pro quolibet, item pro duobus Choristis ad rationem vncearum duodecim singulo anno pro quolibet, item Organistæ ad rationem vncearum duodecim singulo anno, item Magistro Cappellæ, & duobus alijs cantantibus ad rationem triginta sex vncearum singulo anno. Item alij cantanti de Basso ad rationem vncearum nouem singulo anno; item eleuanti manticias organi ad rationem vncearum dua-

rum,

rum, & tarenorum duodecim singulo anno.

59 Prætereà die 26. Augusti IX. Indictionis 1659. cum Consilio, & consensu Capituli ad futuram rei memoriam publicum effecit instrumentum perpetuò valiturum ab omnibus Dignitatibus, & Canonicis subscriptum die, qua suprà erigendo omni meliori modo, nomine, & forma quibus potuit easdem quindecim Cappellanias in perpetua beneficia simplicia Ecclesiastica, residentiam requirentia, & eosdem quindecim Cappellanos in perpetuos Beneficiarios prout in Cleris aliarum Cathedralium passim obseruatũ videtur, ac etiam instituit inter eos duos personatus, quorum primus Subcantor dicatur cum stipendio vt suprà vncearum sexdecim; Secundus verò Terminator, seù Magister Ceremoniarum appellatur cum stipendio vncearum viginti quatuor. Reliquos verò tredecim mansionariorum nomine decorauit, ita quòd eueniente casu seruetur optio inter quinque primarios, & octo secundarios Cappellanos, & non solùm inferiores ad locum superiorũ sed etiam vt secundarij ad stipendium primariorum gradatim ascendant. Ad personatus autem optio non detur, cum nimirum in eorum electione Personarum idoneitas pro eorum specialibus ministerijs speciatim debeat attendi; erigendo quo-

1656

quoque in beneficia simplicia modo præfato duos Choristatus cum stipendio vnciarum duodecim pro singulis.

60 Ideo vt conformes nostris reddamur Prædecessoribus hac Synodali Constitutione approbamus, confirmamus, & quatenus opus est, ac de Iure facere possumus de nouo instituimus, ordinamus, & præcipimus omnibus nostræ Iurisdictioni subiectis, vt omnia supradicta inuiolabiliter obseruent.

61 Cappellani omnes sint Sacerdotes, & distributiones quotidianas percipiant iuxtà repartitionem factam, & pro vt hactenus seruatam ab ipsis primarijs Cappellanis, & secundarijs, Choristis, & Sacristis habito ad eorumdem salaria respectu.

62 Singulis diebus etiam ferialibus saltem vna Missa celebretur post Missam Conuentualem cantatam, quod maximè seruari debet in diebus Dominicis, & festiuis ob Populi commoditatem, & alias quamplures rationabiles causas ab vno ex quindecim Cappellanis, ordine seruato per Hebdomadam successiuè provt vsque modò à nostris Prædecessoribus reperitur ordinatum, sub pœna transgressoribus tarenorum quatuor.

63 Tenentur omnes per se ipsos, & non per substitutum propria obire officia, & cum legitimè fuerint impediti sequens

quens ordinatè vices prioris supplebit. Præsente verò, & renuente, Præfectus Chori, aut qui preæst vices eius committat, integrique diei distributionem ab eo ablatam substituto applicandam decernat, quòd si maiorem pœnam ei dare iudicauerit expedire, potestatem, quam tradidimus suprà poterit exercere.

64 Confirmamus id, quod aliàs fuit à nostris Prædecessoribus ordinatum; videlicet, quòd omninò, & indispensabiliter in vnaquaque nocte vnus ex Cappellanis Cōfessarijs dormire teneatur intus castellum in Canonica, seu Cathedrali Ecclesia pro Sacramentorum administratione, cui serò præcedente consignari debent claues Tabernaculi Sanctissimi Sacramenti, & aliæ pro extrema vnctione, & Baptismate.

65 In cantu Gregoriano addiscendo non sint pigri, lectioni casuum conscientiæ diebus à Nobis præfixis dent operam, sint in officij recitatione deuoti, ac solertes, in ministerijs obeundis diligentes, Præfecto Chori ad nutum obediant, cæterisque Dignitatibus, & Canonicis debitam exhibeant reuerentiam, nec ante quemquam illorum à Choro egredi præsumant, mutuumque inter se seruent amorem, & Magistro Ceremoniarum seu eius adiutori sine tumultu, & contentionibus obtemperent. Subcantor, Magister Ceremoniarum, & Hebdomadarius semper in suo

ſtallo permaneant, & ſubſellia Cappellanorum non audeat alius Presbyrer ſeu Clericus occupare, ſed cum fuerit neceſſarium ponantur in Choro, aut alibi ante ipſos duo, vel plura alia ſcabella pro vnaquaque parte Chori.

§ PRIMVS DE SVBCANTORE.

66 VNus ex primarijs Cappellanis Subcantoris nomine inſignitus primum obtinet perſonatum in hac Cathedrali Eccleſia, eſtque veluti Cantoris ſubſtitutus. Eius munus eſt Chorum à latere dextro ducere, pſalmos, introitus ad Miſſas intonare, antiphonas intonandas committere; vt benè præcinantur pro temporum diuerſitate officia inuigilare, vt cantus ſint graues, diſtincti, diuinis laudibus accommodati, atque vt verba ita proferantur, vt fidelium mentes ad pietatem, & ſuperna contemplanda excitare valeãt. Debet propterea eligi, qui cantus plani rationem probè calleat, & vocem ſonoram habeat. Curet tamen, vt nihil eorum, quæ in Gradualibus, & Antiphonarijs ſunt præſcripta prætermittatur, aut immutetur. Almutium interiùs in fimbrijs violaceo ornatum colore geſtat.

§ SE-

§ SECVNDVS

DE

MAGISTRO CEREMONIARVM, seu Terminatore.

67 QVem alij Terminatorem vocāt, Magister Ceremoniarum hic dictus, secundum post Subcantorem obtinet Personatum. Almutio pro vt cæteri Cappellani, cum sit ex gremio ipsorum, vtitur, ora tamen almutij ex parte interiori violaceo ornat colore, & diebus, quibus Episcopus Pontificaliter celebrat, vel Pontificalibus assistit, & alijs in Ceremoniali statutis habitum Clericalem violacei coloris induit, super quem superpelliceum, imponit, & Almutium.

68 Eius munus est singulis diebus quale sit officium, simplex ne, an duplex dicere, de festo, an de feria; quæ Lectiones, Antiphonæ, Psalmi, & Orationes recitandæ, quæue collectæ in Missis sint adhibendæ, ac vt sacræ vestes debiti coloris diei festo congruentis exponantur, & quocumque loco, vbi Episcopus Diuinis assistit eum comitari. Insuper ipsi incumbit in Choro, & celebrantibus indicare quando genuflectendum, quando standum, inclinandum, caput detegendum, thus, & pacis osculum,

quibus, & qua hora debetur imperabit, Acholitis, Ceroferarijs, cæterisque Missæ Sacrificio inseruientibus præsit, vt omnia ritè, ac ordinatè fiant, quare & ipse Ecclesiæ ritus sacrasque Ceremonias probè callere debet, eaque omnia, quæ in Pontificali Romano, & Ceremoniali præscribuntur: Errantes verò modestè arguat, & vt faciliùs omnia exequi possit coadiutorem alium ex Cappellanis habebit. Ad vitandas autem contentiones, & tumultus ordinationem olim factam à Prædecessoribus nostris confirmamus, & omninò obseruari præcipimus, quare ad litteram hic inserimus.

69 Magistro Ceremoniarum in exercitio sui officij coadiutor suus, omnesque de Clero obediant; Reuerendi verò Dignitates, & Canonici exequantur quicquid per Magistrum Ceremoniarum dictum, vel propositum fuerit, pertinens ad eius officium, vel exercitium. Quod seruari volumus, & ordinamus (ac etiam per Nos obseruabitur) absque vlla altercatione, seu disputatione, etiam quòd appareat aliter fieri debere, quia tunc oportet obseruari, postea verò reddet rationem Magister Ceremoniarum, & poterit mulctari, seù aliter puniri.

§ TER-

§ TERTIVS DE PVNCTATORE.

70 PVnctator, seu Falterius probatæ sit virtutis, & eligatur per annum à Capitulo, itavt non possit ad alium nec confirmari absque nostra expressa licentia; eius munus est punctare, seù notare defectus vniuscuiusque tàm ex Capitulo, quàm ex Clero, tàm dierum, quàm horarum Canonicarum, aliorumque officiorum vnicuique pertinentium ad effectum, vt possit auferri ab omnibus, & singulis secundùm eorum absentias, seù defectus, idque iuxtà Tridentini Dispositionem alijs præsentibus, & actu inseruiētibus distribui, vel locis, aut pijs operibus erogari.

71 Qui quidem Falterius, seù Punctator notet in libro faltarum ad hoc specialiter deputato, & scribat omnes faltas non solùm absentium, seu non interessentium Choro, Sacris horis, alijsque Diuinis Officijs prout solitum est, verùm etiam faltas aliorum ministrorum, & officialium, Sacristarum, & Musicorum in proprio officio deficientium, qui à Præfecto Chori iuxtà rectum arbitrium attenta qualitate defectus debent puniri; Insuper faltas, seù defe-

defectus scribat omnium illorum, qui dum in Ecclesia reperiuntur præsentes officia præsertim à Magistro Ceremoniarum signata provt in Pontificali, aut Episcoporum Ceremoniali non obierint, sed alijs absque legitimo impedimento commiserint, nam tunc qui præest mulctet vt suprà.

72 Hinc ne Punctator odio, metu, amore, timore, errore, negligentia, aut alia quauis causa aliquem iniuria afficiat, aut notandum prætermittat, præter electum à Capitulo alius à Nobis eligatur Falterius, qui iureiurando apud Nos peracto, (nam electus à Capitulo debet in Capitulo iuramentum præstare) fidelitatem officij promittens; omnium Canonicorum, Cappellanorum, Choristarum, & Sacristarum absentiam notabit, & singulis Hebdomadibus ambo punctatores inter se conferant in suis libellis punctationes, & manu propria se in vtroque subscribant libro, & si in aliquo discrepauerint Nos consulant, vt controuersias radicitùs eliminemus.

73 Falterius à Capitulo electus librū punctationum diligenter custodiat, & similiter punctator à Nobis institutus, & singulis mensibus ille suum librum Cantori præbeat, qui vna simul cum prædictis duobus Punctatoribus faciat compotum summæ vnicuique ex Choro correspondenti pro illo mense ex acquisitis distri-

butio-

butionibus, demptis tamen illorum absentijs, & similiter separatum faciat compotum ex faltis absentium, & præsentibus ritè obuenientibus, ad hoc vt Depositarius cum solito mandato facilè possit vnicuique eorum quod suum est soluere suo tempore, modo, & forma quibus suprà sub pœna soluendi de proprio.

74 Punctator verò à Nobis electus copiam sui libri à Cantore, & alio Punctatore subscriptam extrahat cum summa vt suprà restricta, & Nobis quolibet mense exhibeat, mandantes cuilibet eorum Pũctatorum, vt sacris horis, & Diuinis Officijs intersit, aliàs, si absque legitima causa absfuerit vnus alium punctet, & è contrà, nec vllus eorum possit, nisi de licentia eius, qui Choro præest abesse, & tunc quisque eorum alium ab eodem Chori Præfecto probandum substituat, secùs vnius diei distributionem amittat. Verùm Punctatoris partes à Nobis electi tempore infirmitatis, aut magnæ absentiæ nos ipsi alteri demandabimus, illius autem à Capitulo electi vices Præfectus Chori alteri committet.
Salarium sit bipartitum, videlicèt vncearum duarum quolibet anno pro vnoquoque ipsorũ.

§ QVAR-

§ QVARTVS

DE

CHORISTIS, MAGISTRO SACRISTAno, & alijs Sacriſtis.

75 CHoriſtæ in hac Cathedrali Eccleſia in limine fundationis, & Bulla Apoſtolica tres fuerunt inſtituti ad nutum amouibiles, & anno 1654. ad numerum duorum fuerunt reducti non amota eorum amouibilitate, verùm anno 1656. prædicti duo Choriſtatus ad nutum amouibiles fuerunt ad futuram rei memoriam publico inſtrumento perpetuo valituro vnà ſimul cum quindecim Cappellanis in perpetua beneficia ſimplicia Eccleſiaſtica, atque cum reſidentia reformata, & prædicti duo Choriſtę in perpetuos beneficiarios erecti cum ſalario vncearum duodecim pro ſingulis quolibet anno, non optant, & ad eorum officium, & ſtipendium ſufficit Clericatus.

76 Choriſtarum munus erit aſſiduos eſſe Choro, libros lectioni horarum, & cantui præparare, analogioque imponere, ſimul cum reliquis recitare, & canere, breuia reſponſoria cantare, & reliqua quæ eis imponuntur à Chori Præfecto vel Magiſtro Ceremoniarum diligenter perficere,

re, ſint deuoti, modeſti, in cantu ſe exerceant, maioribus reuerentiam, & obedientiam præſtent.

77 Theſaurarij veluti ſubſtitutus eſt Magiſter Sacriſtanus, quem Epiſcopus eligit, Sacerdos probatæ vitæ eſſe debet, cui iocalia, ſupellectilis, cæteraque ornamenta tutò concredi poſſint, curare debet Altarium munditiem, nec non vt Miſſæ ordinatè, & præcipuè diebus feſtiuis in Altaribus aſſignatis celebrentur, & vt quiſque celebrantium in libro deſignato ſe manu ſubſcribat vt alibi diximus, vt Eccleſiæ parietes, & pauimentum mundentur, ne confabulationes, & deambulationes, rumoreſque in Eccleſia fiant, itemque vt horologium currat, & campanæ ſtatutis horis pro conuocandis ad horas Canonicas, & Diuina Officia, nec non pro ſigno Salutationis Angelicæ, & alijs pulſentur, & quòd ſemper tempore præſertim Miſſarum præſens ſit in Sacriſtia.

78 Reliqui Sacriſtæ candelis accendendis, vrceolis & diſco deferendis in Altari vbi Miſſa fuerit celebranda ſedulò incumbant, Miſſarum ſeruitio ſi opus fuerit, etiam aſſiſtant, reliquiſque muneribus obeundis, quæ à Magiſtro Sacriſtano imponentur, tum in Miſſa decantanda thus diebus ferialibus afferant ad Euangelium, campanas pulſent, in Sacramentorum adminiſtratione, & defunctorum exequijs

cum Cruce, aut aſperſorio, vel alio eis impoſito munere conueniant, & ad Chorum accedant, cum aliàs impediti cæteris Eccleſiæ ſeruitijs non extiterint.

79 Magiſter Sacriſtanus deinceps habeat ſalarium pro omni, & quocumque Iure ad rationem vncearum duodecim quolibet anno, & ſit exemptus à Campanarum pulſatione, alter ſecundus Sacriſta habeat pro ſalario vnceas duodecim, ſingulis annis, & teneatur ad omnia ſeruitia Eccleſiæ, quo pacto ad præſens reperitur. Tertius, & quartus Sacriſta habeant pro ſalario vnceas octo quolibet anno pro ſingulis, verùm ſi caſus occurrerit vacantiæ ſecundi Sacriſtæ tertius optabit ſecundum locum, & ſalarium vncearum duodecim, & quartus tertium locum cum eodem ſalario vncearum octo, & ſic ſucceſſiuè. Optio autem huiuſmodi in officio Magiſtri Sacriſtani non detur; quia aliæ peculiares qualitates ad tale munus perquiruntur.

80 Nullus ex prædictis quatuor Sacriſtis poſſit extrà caſtellum habitationis Epiſcopalis abſque vrgente neceſſitate pernoctare, qua ſuppoſita, teneatur licentiam expreſſam à Nobis, vel à noſtro Vicario Generali impetrare ſub pœna tarenorum quatuor, & alijs ad noſtrum arbitrium, & quòd ſerò ante duas horas noctis quilibet eorum, etiam qui non ſit de-

heb-

hebdomada intrà castellum inueniatur sub pœna tarenorum duorum.

81 Denique pro seruitio Missarum, & aliarum rerum Ecclesiæ confirmamus quòd assistant quotidie alij non minus quatuor, nec plus numero sex vt moris est, quos vocant Clericos violatos, quibus assignamus pro annuo salario duas vnceas pro singulis, & calceos tribus vicibus in anno vltra vestem panni coloris violacei quando opus fuerit.

DECRETVM IV.

DE

ARCHIPRESBYTERIS, RECTORIBVS, seu Parochis, eorumque residentia, & obligationibus.

82 Archipresbyteri nostræ Diæcesis, & Curati, seu Parochi, qui Rectores Ecclesiarum appellantur, docti sint, prudentes, & bonæ famæ, & tales qui alios docere, & corrigere conuenienter possint, nec assumendi nisi ij, qui vt lucernæ super Ecclesiæ candelabrum alijs lucis exempla demonstrent, doctrinæque radijs colluceant; quare ante promotionem examinandi erunt ab his, & illo modo quo Sacrosancta statuit Tridentina Synodus. *Sess. 24. c.18.*

83 Et vt perpetuitas eos segniores non reddat, attenta paucitate idonearum personarum ad dicta concurrentium officia, & nimia Ecclesiarum paupertate declaramus Archipresbyteros, Parochos, Curatos, vel Rectores Ecclesiarum huius nostræ Diœcesis ex immemorabili consuetudine, & antiqua Synodali constitutione esse amouibiles pro nostro arbitrio, & infra singulos duos annos, quibus solitum est prouideri, posse etiam mutari, vt digniores si qui inueniantur loco eorum poni possint, quamquam de nostra facultate, ad aliud, vel plura biennia confirmari queant, si munus suum rectè administrare compertum fuerit.

84 Propterea ordinamus hac nostra Diœcesana Synodo, vt quilibet eorum post quodlibet biennium suarum litterarum patentium, teneatur sub pœna suspensionis ab officio ipso facto incurrenda prædictas litteras sui Beneficij Curati Nobis, vel nostro Vicario Generali præsentare, vt cõfirmentur, vel reuocentur. Volumus autem vt ad Nos perueniat prædictorum officiorum temporis elapsi integra notitia, quod infrà mensem à die publicationis Synodi numerandum vnusquisque eorum nullo excepto, huiusmodi litteras suas patentes sub eadem pœna, qua suprà Nobis, vel Vicario Generali demonstret, vt recognoscantur.

85 Eis quidèm in primis incumbit de Iure diuino vt Trid. declarat oues suàs agnoscere, pro eis sacrificium offerre, verbi Dei prædicatione, Sacramentorum administratione ac bonorum operum exemplo pascere, miserabilium personarum paternam habere curam, aliaque pastoralia exercere officia, quæ quidèm si à sua Parochia absint perficere minimè queunt, ideoque eisdem præcipimus sub pœnis à Trident. expressis, nempè fructuum amissione, alijsque à Iure statutis, præter mortifere noxæ reatum, vt in Parochialibus Ecclesijs resideant, non vagentur, non curis temporalibus grauentur, cælestibus terrena præferentes, vt suo muneri satisfacere valeant. Si verò vrgens necessitas, Charitas Christiana, & debita obedientia à sua Parochia abesse suadeat, non nisi his à Nobis examinatis, & de nostra licentia ad bimistre solùm concedenda, cùm de idoneo Vicario per Nos prouisum fuerit cum debita mercedis assignatione, ne aliquod ex absentia Pastoris oues detrimentum patiantur, discedere audeant. Si tamen vrgentissima ad triduum tantùm abesse cogat id fieri ex nostri Vicarij licentia permittimus, qui tamen illicò nos certiores facere debet. Seß.6.cap.2. Seß.23. cap.2.

86 Quò verò ad eorum munera exercenda, quæ in superioribus de doctrina Christiana, de Sacramentis, de Missæ sacrificio

ficio de Processionibus, & exequijs, de Legatis pijs, de rebus Ecclesiæ non alienandis, & alijs præsertìm in Edictis, & ordinationibus sparsim sancita sunt obseruent.

87 Insuper eis mandamus, vt Dominicis diebus, & festis in sua Parochiali Ecclesia Missæ sacrificium celebrent, cæterasque Missas itàdisponere curent, vt debitis interuallis ita celebrentur, vt omnibus satisfaciat, & in Aurora pro ijs, qui ægestate compulsi ad Ecclesiam accedere verentur, vel ad rura abire coguntur sacrum non desit, signa dentur pro Incolis conuocandis, non solùm pro dicta Missa in Aurora, sed etiam pro vltima Missa circà meridiem, saltèm diebus festis, & Dominicis celebranda.

88 Qui Missarum ordo, & dispositio specialiter obseruetur in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Gratia Terræ Giusæ, vbi ad presens Congregatio Patrum Oratorij est extincta, & ad Nos Ecclesia, & Conuentus pleno Iure sunt deuoluta, vnde præcipimus Cappellano Maiori, ac singulis alijs Cappellanis sub pœna suas amittendi Cappellanias, vt non priùs, quàm à fine Auroræ, Missę incipiant celebrari in dicta Ecclesia, & reseruato vno ex dictis Cappellanis pro Missa vltima vt supra ad circulum pro qualibet Hebdomada, ali quotidie vnus post alium celebrent cum vno solo

Cali-

Calice vſquequo finitus ſit eorum nume-rus celebrandi, niſi aliud Cappellanus Maior pro loco, tempore, feſtiuitatibus, &c. alijs circumſtantijs expedire iudicabit.

89 Ordinamus, vt Sacerdotes, & Clerici Parochialibus, aut alijs Eccleſijs aſſignati tàm in Vrbe, quàm in tota Diœceſi ſingulis diebus feſtis, & Dominicis Miſſis ſolemnibus, & Diuinis Officijs ſuperpelliceis induti perſonalitèr aſſiſtant, & ſimiliter proceſſionibus de Iure, aut conſuetudine fieri ſolitis interſint, & animi deuotione, ac ſubiectione vt in ſuis muneribus obeundis Parocho, aut Rectori Eccleſiȩ ad nutum obediant, & iſti teneantur in Vrbe quolibet menſe defectus eorum abſentiȩ, menſalis confeſſionis, & communionis in Eccleſijs vbi ſunt aſsignati, notare, & an laudabiliter vbi commorantur conuerſati fuerint ad Nos, aut noſtrum Vicarium Generalem deferre, eamdemque relationem Parochi, Eccleſiarumque Rectores in Diȩceſi quolibet bimeſtri vt ſuprà tranſmittant ſub pœna Clericis amittendi immunitatem à gabellis, & carceris ad noſtrum beneplacitum; Parochis verò, ac Rectoribus, qui talem denunciationem neglexerint, cȩteriſque Sacerdotibus prȩdicta non obſeruantibus ſub alijs pœnis noſtro arbitrio infligendis.

90 Curent omnes Parochi, & Rectores edicta, & Ordinationes, quȩ infrà annum

num

num populo ſunt promulganda ſuo tempore publicari, & ſimiliter excommunicationes, denunciationes pro ordinandis, & pro matrimonio coniungendis, & fides baptiſmi, Confirmationis, Matrimonij, aut defunctorum, & quęcumque alię ſimiles à Parochis, aut Rectoribus non solùm ſubſcribantur manu propria, ſed etiam ſigillo muniantur, & taxa ſoluenda pro quacumque ex dictis ſit ſolùm tareni vnius tam in Vrbe, quàm per totam Diœceſim.

91 Eccleſiarum bonis conſeruandis inuigilent, & quæ in hac Diæceſana Synodo ſancita ſunt obſeruari curent, Populum inſtruant de neceſſarijs, ad decimas ſoluendas hortentur, & de Eccleſiaſticis cenſuris moneant, Infirmos paterna charitate viſitent, & ad Sacramenta opportuno tempore ſuſcipienda perducant, inimicitias graues componere ſatagant, & ſcandala extirpare conentur, libros habeant ſeparatos, in quibus Baptizatos, Confirmatos, Communicatos in Paſchate, Defunctos, & eos, qui matrimonium contraxere diligenter deſcribant.

92 Inſuper eorum curæ erit prouentus, & redditus Eccleſiæ deſcriptos habere, & eorumdem diſpenſationem notare, ac iuxtà anteactæ Synodi conſtitutionem omnium horum rationem quolibet anno coram noſtro Vicario Generali infrà Octauam feſti Sancti Bartholomæi ſub pœna

vncea-

vncearum duarum reddere, nisi legitima infirmitate detenti, quo casu adepta valetudine perficere studebunt.

93 In causis siuè ciuilibus, siuè criminalibus nequaquam sibi iurisdictionem vendicare audeant, sed Vicariorum Foraneorum potestati dimittant, eosdem, vel Nos de accusationibus ad se delatis, vel alijs criminibus sibi notis monentes, quamuis pro Clericorum, vel Sacerdotum negligentia in ijs, quæ eorum incumbunt officio, & Ecclesiæ seruitio punitio ad ipsos spectare censeamus.

94 Inuigilent vt diebus statutis in hebdomada Sacerdotes, & Clerici ad lectionem casuum conscientiæ attendant, & negligentes per Vicarium Foraneum puniantur, & si notabilis in hoc accidat defectus nos certiores faciant, crebrò Sacerdotes de Sacramentorum administratione, Missæ celebratione, harum nostrarum constitutionum obseruatione satis instruant, ac de Ceremonijs, à publicis tabellionibus diligenter inquirant si quid ad pias causas in testamentis, vel codicillis relictū sit, & cogant hæredes diligenter, & maturè soluere, quòd si post sex menses distulerint, ad nos conferant, vt prouidere de opportuno remedio possimus.

95 Ne verò prædicti Rectores, & Archipresbyteri onerosam sibi censeant huiusmodi Ecclesiarum curam, & fortè prop-

ter inopiam aliquando refugiant, cum dignus sit operarius mercede sua. Præcipimus in posterum, vt de omnibus emolumentis, redditibus, primitijs, mortitijs, & quibuscumque alijs rebus hebdomadarijs, seu Cappellanis ipsis competentibus duplicem portionem accipiant, quarum vna ratione officij Curati, altera verò causa hebdomadæ ipsis inseruiat Curatis.

96 Mandamus etiam ipsis Archipresbyteris, & Rectoribus vt supra sub pœna priuationis ab eorum officijs ne permittant, quòd Sacerdotes, aut Clerici in Choro, processionibus funeralibus, & alijs Diuinis Officijs assistant, aut comitentur absque superpelliceis, & bireto Clericali cum solo pallio, & pileo, & quos Vicarius Foraneus transgressores sciat singulos eorum priuet, non solùm illa portione eis pro huiusmodi functione spectante, sed etiam pœna vnius tareni eos afficiat, qui ab emolumento primo euenturo accipiatur, & inter præsentes, qui fuerunt cum dictis superpelliceis, & bireto diuidatur.

97 Demùm omnibus Archipresbyteris, Parochis, & Curatis Oppidorum nostræ Diæcesis pro sibi subditis facultatem absoluendi à casibus Nobis reseruatis impartimur, ac etiam Parochis ruralibus Terræ Giusæ; monentes, vt pœnitentias iniungant salutares, & recidiuis absolutionis beneficium differentes ad meliorem frugem adducere satagant.

SES-

SESSIO V.

DE ECCLESIASTICA DISCIPLINA, morumque correctione.

DECRETVM I.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORVM

1. 
VM ex Sacris Canonibus, maximè nobis mores Clericorum reformare sit commendatum, Conciliumque Tridentinum neglectæ emendationis, ab Episcopis pœnas luendas formidabili comminatione enunciet; nè subditorum dissimulando, & tegendo scelera, eorum participes, ac cõsortes efficiantur: propterea, nè qui in sortem Domini vocati sunt, quorum Dominus pars hæreditatis, hæredes fiant diaboli, sed tamquam stellæ in Ecclesiastico fir-

Sess. 22. c. 1 de refor.

firmamento colluceant, lucis exempla prȩbentes, & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrant, ideſt operum luciditate in Populis coruſcantes, ita vitam, & mores componere ſtudeant, vt habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, alijſque operibus, nihil fiat, quod cuiuſquam offendat aſpectum.

2 Hinc perditorum hominum commercium, amicitiam, vel conſuetudinem fugere ſatagant ſub pœnis in Bulla Beati Pij V. aliorumque Pontificum, & Sacrorum Canonum contentis, præſertim eorum, qui ſunt publicè proſcripti, Banniti, latrones, viarum graſſatores, his caueant, nè conſilium, aut auxilium facto, aut verbo præſtent, nec hoſpitio, ſiuè in proprio, ſiuè in alieno domicilio recipiant, etiam ſpe refugij, ſiuè Immunitatis Eccleſiaſticæ, nequè directè, aut indirectè, ſiuè per ſe, ſiuè per alios verbo, aut ſcripto ſuſpicionem præbeant contubernij. Quicumque autèm huic noſtræ conſtitutioni inobediens fuerit, præter vncearum viginti quinque ſolutionem, carceri ad quinquennium, aut triremibus pro criminis qualitate mancipabitur, aut exilio punietur.

3 Ad cauponam edendi, aut bibendi cauſa non accedant, niſi cum in itinere neceſſitas cogit, ebrietatemque fugiant, ſuperpelliceis, & cottis, non ſuper collum, & dorſum inuolutis, ſed eis honeſtè induti, proceſſionibus, Choro, & alijs Diuinis

aſſi-

assistant Officijs, non sedeant in plateis, nec ambulent per eas, neque ad macellos, aut alia loca ad emendum panem, vinum, carnes, pisces, & cætera huiusmodi discurrant.

4 Ob mortem parentum collariolis non priuentur, habitus Clericalis à parte ante sit ad minus nodis, aut in medio cintula clausus, vt non possint vestimenta à parte intus videri. Prohibemus etiam omnes ludos Sæculares, & indecentes, & specialiter ludum caseorum, vulgariter dictum di cascaualli, e squadati sub pœna vncearum duarum transgressoribus.

5 Permaximè continentiæ exemplar in Clericis venerari decet; quarè, vt omnis incontinentiæ suspicio procul abigatur, sciant, quòd contrà huiusmodi incōtinentes, omnibus Iuris remedijs, & Sacrorum Canonum pœnis procedemus ad eorum subleuandam miseriam, præsertim ea ratione à Sancta Tridentina Synodo statuta, & absque strepitu, & figura iudicij, sed sola facti veritate inspecta, quā exequutionem quæuis appellatio, aut exemptio impediendi, aut suspendendi vim non habet.

6 Indecens quoque Clericis est Sæculari subiacere seruituti; vndè nullum Clericum alieno famulatui addictum volumus, nisi pro Missa dicenda; mulieres quoque quacumque Dignitate fulgentes,

 asso-

associare prohibemus, causa tamen litteras docendi, vel aliam Artem liberalem, dùm sint paruulæ, aut maturæ ætatis, & probatæ virtutis de Nostra, vel nostri Vicarij licentia, assumi poterunt.

7 Coram Iudice Sæculari causam agere, aut testimonium proferre non audeant, nec accusare, neque coram illo comparere pro quacumque causa absque Nostra, vel nostri Vicarij Generalis licentia sub pœna vncearum quatuor.

8 Ad nostram verò Cathedralem, omnes Clerici, & Sacerdotes Ciuitatis, etiam Rectores, nullo excepto in festo S. Bartholomæi conueniant ad vtrasque Vesperas, & Missam diei cantandam. In alijs pariter solemnitatibus, in quibus Nos pro earum celebratione iuxtà Episcoporum Ceremoniale, deberemus Pontificalia exercere; omnes accedant, vt suprà sub pœna vncearum duarum, etiam si Nos tali solemnitati non interfuerimus.

9 Studeant igitur omnes impolluto corde, & corpore Deo seruire exemplari modestia, & insigni sanctitate, attendant lectionibus casuum Conscientiæ, & cantus Gregoriani diebus in hebdomada statutis, cæterisque pijs operibus, & spiritualibus exercitijs in omnibus se exhibentes, sicut Dei Ministros, vt de eis dici possit, genus electum, gens Sancta, Regale Sacerdotium.

10

10 Alia, quæ ad vitam, honestatemq; Clericorum in Sacris Canonibus, præsertim cap. irrefragab. de offic. ordin. Cap. his igitur, dist. 23. cap. vlt. dist. 41. cap. Præsbyteri dist. 34. cap. Clerici, & cap. quoniam de vita, & honestate Clericorum. cap. duo sunt 22. q. 1. c. Clerici 3.4.7. eod. tit. cap. Præsbyteri dist. 33. cap. non oportet de consecr. dist. 5. cap. Clerici de postulando cap. 3. si quisquam de cohabitatione Cleric. & mulier. cap. erubescant dist. 32. cap. si qui sunt dist. 81. cap. Clerici de excess. Prælat. cap. flagitia 37. q. 7. cap. sententia dist. 88. cap. testimonium 11. q. 1. ac etiam in Sacrosancto Concilio Tridentino sess. 13. cap. 6. sess. 14. de refor. in proemio, & cap. 6. sess. 22. cap. 1. sess. 23. cap. 6. & 14. sess. 25. cap. 14. & alijs in locis expedire videbantur ab Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Ignatio de Amico Prædecessore nostro in vnum collecta in suis Edictis, eiusque diligentia iam ordinata reperimus, ideoque ob maiorem subditorum facilitatem lingua vulgari, qua fuerunt ab ipso emanata, in memoriam reuocamus, & ea de verbo ad verbum transcribimus, roboramus, ac de nouo ordinamus.

EDI-

EDITTI

PROMVLGATI IN GENERALI,
Dalla fel. mem. dell' Illustrissimo
D. IGNATIO DE AMICO
olim Vescouo di Patti, e confirmati
nel presente Sinodo dall' Illustris-
simo Monsignore
FRA D. MATTEO FATIO
Per publicarsi ogn' anno nella
Quaresima.

Al diletto nostro Clero, e Popolo della nostra Città, e Diocesi di Patti salute, e benedittione nel Signore Giesù Christo.

1 *A Voi Dilettissimi Figli nel Signore Giesù Christo Crocifisso per la salute di tutti i Fedeli Christiani dell' vno, e l' altro Sesso Cittadini, & habitatori di questa Città, e sua* Diocesi *di qualsiueglia stato, è conditione, vi si ricorda essere tutto proprio della nostra carica, è vigilanza Pastorale, quale per sola misericordia di Dio nostro Signore senza nostro veruno merito, si troua à Noi commessa, e raccomandata, palesarui con ogni sincero, e paterno affetto l' obligationi, che à Voi, & à Noi corrono per hauere tutti vera, & eterna salute nel medesimo Signore, con l'osseruanza, & adimplimento de' suoi Diuini Precetti, e comandamenti della*

della Santa Romana Chiesa, sua diletta Sposa.

Che però desiderosi Noi com' è douere di rimediare alli peccati, particolarmente publici, e scandalosi de' Nostri sudditi così Ecclesiastici, come Secolari, & ouuiare à quelli per quanto sarà possibile con l' aiuto della diuina gratia, applicandocci le preuentioni, e cautele più necessarie, & opportune, esortiamo, & in virtù di santa obedienza ordinamo, e comandiamo, ad ogni persona dell' vno, e l' altro sesso, così Ecclesiastica, come Secolare, che sapendo, ouero hauendo inteso, & hauuto notitia di qualsiuoglia graue peccato, e maggiormente publico, e scandaloso, di che siano obligati à farne esatta inquisitione, lo debbano caritatiuamente reuelare à Noi, come di sotto meglio si dirà.

In primis chi sapesse che alcuno delli Dignitadi, Canonici, Prebendati, Insigniti, Arcipreti, Parochi, Curati, & altri Rettori ministri, e Sacerdoti della nostra Chiesa Cathedrale, & altre Chiese di questa predetta Città, e sua Diocesi hauesse notabilmente trascurato, ò mancato nell' esercitio del suo officio, e particolarmente nell' amministratione de' Santissimi Sacramenti lasciato morire alcuna persona senza l' aiuti necessarij, e conuenienti, e maggiormente senza Sacramenti, lasciato morire alcuna Creatura senza Battesimo, ouero che hauesse commesso vitio di Simonia, dolo, ò scandalo, ò difetto notabile nell' amministratione di essi Santissimi Sacramenti, ò pure non insegnassero la Dottrina Christiana come è loro douere nelli giorni soliti, e de-

terminati: ò che haueſſero ſepellito, ò laſciato ſepellire alcun ſcommunicato publico, ò denunciato, ò Interditto: O che haueſſero celebrato Meſſe, & altri Diuini Officij, ſtandoui preſenti li ſudetti ſcommunicati, e Cenſurati: O che haueſſero congiunto in Matrimonio alcuni impediti di grado probibito di parentela, di conſanguinità, & affinità, ò d' altro Canonico impedimento, ò ſenza li tre bandi precedenti conforme alla diſpoſitione del Sacro Conſeglio Tridentino, ò ſpoſato fuori di Chieſa ſenza la noſtra licenza. E finalmente ſe detti ſopranominati Curati, e Rettori haueſſero eſatto ſouerchiamente, & indebitamente denari, ò altra coſa per raggione d' amministratione di Sacramenti, ò non haueſſero trattato con carità li ſuoi Parochiani: ò haueſſero laſciato di viſitare quelli eſſendo ammalati con pericolo di vita, e non procurato che faceſſero loro teſtamenti, e diſpoſto delle coſe appartenenti alla ſalute dell' Anime loro, e maggiormente quando l' haueſſero alienato dal giuſto proponimento.

Item ſe alcuno Sacerdote, ò Clerico Beneficiato, Cappellano, ò altro laſciaſſe di celebrare, ò ſodisfare conforme all' obligo ſuo le Meſſe, & Anniuerſarie memorie de' Defonti, adempito li Legati pij, & altri ſeruitij douuti alle Chieſe, Cappellanie, & altri di loro Beneficij, e ſodisfattioni ingionte in graue danno delle loro conſcienze, e frode delle pie diſpoſitioni de' fedeli, e detrimenti del Culto Diuino, ò pure haueſſero più Beneficij, ſalarij, Limoſine, e Cappellanie incom-

compatibili contro la dispositione de' Sacri Canoni, Conseglio Tridentino, e Decreti della Santità d' Vrbano VIII.

Item se alcuno hauesse riceuuto l' Ordini Sacri senza l' età legitima, ò si fosse ordinato con dimissorie false, ò senza legitimo, e sufficiente titulo di suo Patrimonio, ò con titulo di Patrimonio falso, e finto, O hauesse esercitato detti Ordini trouandosi scommunicato, sospeso, ò irregolare, ò fosse stato promosso all' Ordini con vitio di Simonia, ò pure con Simonia, ò inconfidenza, ò per altro modo illecito, ò senza Canonica institutione, ò licenza del Superiore hauesse riceuuto, ò resignato qualche Beneficio, Cappellania, ò rendita.

Item, se alcuno Sacerdote hauesse confessato, ò amministrato Sacramenti senza la nostra licenza, ò che alcuno de' Sacerdoti, e Clerici hauesse qualche impedimento, ò difetto, per li quali non potesse hauere l' vso dell' Ordini che tiene, e del suo officio che esercita, ne esser promosso ad altro ordine, officio, ò Dignità.

Item se sapessero che alcuni si trouassero in stato di peccato mortale, e maggiormente essendo persone Religiose, & Ecclesiastiche, e con scandalo d' altri, e che hauessero prattica dishonesta, e lasciua, ò trattenessero in casa Donne sospette, ò che giocassero à giochi vietati, & indecenti, ò che facessero trafichi, arbitrij, e negotij illeciti, ingiusti, & vsurarij, ò che mormorassero grauemente, e scandalosamente della fama d'altri. O che caminassero di Notte, andassero

cantando, e ſonando per le ſtrade ſenz' habito Chiericale. O teneſſero prattiche cattiue, e ſcandaloſe conuerſando con perſone vagabonde, e di mala vita, ò faceſſero dette perſone Religioſe, & Eccleſiaſtiche alcun' atto di ſeruitù, & eſercitio vile, indegno, & indecente al ſuo ſtato.

Item ſe ſapeſſero che alcuna perſona faceſſe vfficio di Ruffiano, ò Ruffiana, inſtigando altri à peccare, vfficio veramente eſecrabile, e proprio del Demonio, ò che teneſſero in caſa Donne diſhoneſte, ò di mala vita per guadagno, ò per altro mal' effetto.

Item ſe ſapeſſero che in queſta Città, e ſua Dioceſe vi foſſe alcun malo Chriſtiano, ò perſona che nō ſentiſſe bene della noſtra Santa Fede Catolica, coſsì huomo, come Donna, ò vi foſſe alcuna perſona Magara, Indouina, Fattucchiara, ciraula che medicaſſe con parole, & enſalmi incantarie ſortilega, ſuperſtitioſa, che vſaſſe, ò pure offeriſſe alcuna ſorte di ſuperſtitione, Maleficij, Ciarmi, Legature, Scongiuri, Incantamenti, & indouinaglie gettando ſorti, e facendo certi ſegni, e caratteri, ò daſſe fede al Demonio padre delle menſogne, e nemico crudele del genere humano per via di patto eſpreſſò, ò tacito: ò che ſapeſſero perſone biaſtemmatrici del tremendo, e venerabiliſſimo Nome di Dio, della ſua benedetta Madre Vergine Maria, e delli ſuoi glorioſi Santi del Paradiſo, ò che leggeſſero, ò teneſſero libri prohibiti.

Item chi ſapeſſe che alcuno, ò alcuna haueſſe

piglia-

pigliato altra moglie, ò marito viuendo la prima moglie, ò primo marito, ò se fossero maritati in grado prohibito, ò con alcun' impedimento Canonico dirimente senza autorità, e dispenza Apostolica, ò pure con dispensa falsa, ò surrettitia, taciuta la verità, & espressata la falsità, ouero contrattosi il matrimonio contro la forma del Sacro Conseglio di Trento: In oltre quando anco sapesse alcuni quali trouandosi congiunti con giusto, e legitimo vinculo di matrimonio, non dimeno viuessero separati, e da per se con ingiuria del Sacramento.

Item se sapessero, che in questa Città, e Diocesi vi fossero persone, che frà di loro hauessero graui, e capitali inimicitie, lo debbiano subbito auuisare à Noi, acciochè per lo debito del nostro Pastorale, e paterno officio curassimo tra di loro la pace, e fraterna concordia, come Giesù Christo comanda, e per euitarsi li disordini, che sogliono occorrere con scandali, e rouine spirituali, e temporali de' prossimi.

Item se alcuna persona hauesse lasciato di sodisfare il precetto della Santa Chiesa della Confessione, e communione annuale della Pasqua: ouero lasciato di sodisfare, & adempire l'altri precetti, e comandamenti di Santa Chiesa, come di pagar le decime, e primitie alle Chiese, e Curati, sentir la Santa Messa nelli giorni di Domenica, e festiuità dell' anno, & in quelli astenersi dall' opere seruili dall' vna, all' altra mezza notte del giorno festiuo, ed' astenersi ancora di mangiare carne ne' giorni di Vennerdì, e

Sab-

Sabbato di tutto l'anno, e nell' altri giorni prohibiti, e di digiuno, senza però necessità, e debita licenza, e similmente di non mangiar' oua, e latticinij ne' giorni vietati senza la Bolla della Santa Cruciata.

Item se alcuni hauessero sepellito, ò fatto sepellire Morti in tempo di Notte, ò senza Croce della Parocchia, e forma solita di sepellirsi i Fedeli.

Item se sapessero che vi fosse alcun' Apostata, il quale hauesse temerariamente lasciato l' habito della sua Religione senza legitima causa, e modo, & hoggi viuesse nell' Apostasia fuori di quella.

Item se sapessero alcuna persona sacrilega, che hauesse posto le mani violente, & ingiuriose sopra alcuna persona Religiosa, & Ecclesiastica, ò più fiero delle bestie hauesse battuto il proprio Padre, ò Madre. O pure hauesse in qualche Chiesa ò luogo sagro commesso Homicidio, mutilatione, sparso sangue, ò per qualche maniera perpatrato altro sagrilegio, e violato l' immunità, e libertà Ecclesiastica.

Item se hauessero notitia che in questa Città, e Diocesi vi fosse alcuno che tenesse case, ò tauole di giochi publici di carte, ò dadi, ò altri in che gl' huomini consumano il tempo tanto pretioso, e necessario alla salute dell' Anime, e guadagno della santa eternità del Cielo, e loro facultadi con le rouine delle proprie case, e famiglie, offendono grauemente la Maestà di Dio molte volte con giuramenti, e biastemmie, e sogliono caggio-

narsi

narsi di più disordinatissimi scandali, eccessi, e grauissime risse.

Item se hauessero notitia che alcuna persona hauesse occupato beni mobili, ò stabili, giocali, censi, raggioni, attioni, pertinenze, scritture publiche, ò priuate, & ogn' altra cosa del nostro Vescouado, e sua mensa, della nostra Chiesa Cathedrale, *Monti di Pietà, Monasterij, Hospedali,* Chiese, *Oratorij,* Cappelle, *luoghi Ecclesiastici, e pij legati di Messe da sodisfarsi da* Compagnie, Confraternitadi, Congregationi, *e da qualsiuoglia altri luoghi sudetti, ò persone particolari:* Come anco se fossero stati rubbati, *& occupati denari depositi, & altre robbe di dette* Chiese, *e luoghi pij, ò pure si detinessero occupati atti, e scritture della Nostra Gran* Corte, *& Archiuio Vescouale, come anco dell'altre* Corti, *& Archiuij inferiori Vicariali della Nostra Diocesi, ò quelli falsificati, ò mutilati.*

Item se alcuni Testamenti, ò altre pie dispositioni, così per viui, come per defonti non si fossero adempiti, ò non s'adempissero in tutto, ò in parte, e particolarmente quelle destinate, & applicate per redentione de' Cattiui, *soccorsi di poueri infermi, liberatione de' carcerati, e maritaggio d'Orfane per defetto, e mancamento d'herede, fidecommissario, ò esecutore: O vero quando forse quelle fossero impedite, ò pure occultate, e suppresse falsificate, ò mutilate, ò si fossero perdute rendite, predij, e suoi confini, ò Termini, censi, & altre cose spettanti à dette*

Chiese,

Chiese, e luoghi, e dispositioni pie. O veramente s'andassero tuttauia dissipando, e destrudendo Chiese, case, vigne, & altre cose di dette Chiese, e luoghi, e dispositioni pie, e di Beneficij Ecclesiastici, ò pure s' hauessero speso li denari delle Chiese, e pie dispositioni ad altro effetto contro la forma, e mente de' i Testatori, e fundatori, & Ordinationi de' superiori. E finalmente quando si trouassero malamente, & indebitamente alienati beni Ecclesiastici senza le giuste cause, e sollennitadi disposte per li Sacri Canoni.

Item se qualche persona sapesse che alcuno dell' Officiali, e Ministri di Giustitia della Nostra G. C. Vescouale, ò delle Corti Spirituali della Nostra Diocese passati, ò presenti non hauessero fatto la vera giustitia, e grauato qualcheduno à compiacenza d' altri, ò per rispetti humani, ò per denari, ò regali, ò per altra causa contro la forma de' Sacri Canoni, e Decreti Pontificij: Ouero impedito sudditi, e persone interessate à non querelarsi per via di minaccie, ò per altrastrada.

E perche tutte le sudette cose di sopra mentionate, e ricordate sono necessarie à sapersi per lo seruitio di Dio, salute dell' Anime à Noi commesse, e retta amministratione della giustitia per poterli rimediare, e cautelare con ogni benignità, e carità. Per tanto preghiamo, & esortiamo tutti Ecclesiastici Religiosi, e Secolari, & ogn' vno di questa Città, e Diocesi, così Homo, come Donna di qualsiuoglia stato, grado, e conditione, & in virtù di santa obedienza, e sotto

pena

pena di peccato mortale, & à maggior cautela in subsidium di scommunica maggiore ordiniamo, e comandiamo, & obblighiamo tutte sudette persone che hauendo notitia, ò hauendo inteso le cose sudette, ò alcune di esse come di sopra espressate le debbiano reuelare à Noi, ò al Nostro Vicario Generale in questa Città, e nelle Terre della Diocesi alli nostri Vicarij Foranei, ò vero Arcipreti per darne subbito auuiso à Noi per lor maggior' commodità, e facilità, quale riuelo potranno fare anco secretamente, e nella forma che vorranno, e le parerà, promettendoci di riceuerle, e tenerle così secrete sempre senza che si potesse sapere la persona riuelante pretendendosi principalmente l' emendatione de' i peccati, particolarmente publici, e scandalosi conforme all' obligatione del nostro Paterno affetto, e Pastorale officio, doueranno perciò reuelare, e palesare come di sopra frà lo termine di giorni noue da contarsi dal giorno della publicatione, e lettura di questo nostro Editto, quali se gli assegnano per prima, seconda, e terza, vltima, e perentoria Ecclesiastica monitione premessa, cioè giorni tre per la prima, tre per la seconda, e tre per la terza, quali Termini elassi, e non facendosi lo sudetto reuelo s' intendano come disobedienti, e contumaci incorsi in dette pene come di sopra fulminate ex nunc pro tunc, & e contra: Che per arriuar' alla notitia di tutti si è fatto publicare, e leggere il presente Editto in questa Cathedrale, & in ogni Chiesa Maggiore delle Terre della Nostra Diocesi in

giorno festiuo inter Missarum sollemnia con la frequenza, e concorso de' i Popoli, à ciò conuocati, e fattosi affiggere nelle porte di dette Chiese, ed' altre in questa sudetta Città. Dato In Patti nel Nostro Vescoual Palazzo alli 14. Settembre 1664.

Ignatio Vescouo di Patti.

ALTRI

EDITTI

PROMVLGATI IN PARTICOLARE,
Dalla fel. mem. dell' Illustrissimo
D. IGNATIO DE AMICO
olim Vescouo di Patti, e confirmati
nel presente Sinodo dall' Illustrissimo Monsignore
FRA D. MATTEO FATIO
Per publicarsi ogn' anno nella
Quaresima.

Al diletto nostro Clero, e Popolo della Città, & Diocesi nostra di Patti salute, e benedittione dal Signor nostro Giesù Christo.

12 *Benche per vn' altro nostro Editto Generale hauessimo dichiarato il pensiere, e sollecitudine, che teneuamo per soccorrer con l' aiuto Celeste all' offese di Dio, e del prossimo, e disradicare i vitij, e distrugger' il Regno del Demonio, e del peccato, & edificar' all' incontro le sante virtudi, e piantar' il suo Diuino Amore, e carità verso il prossimo, & ogn' altra cosa di vera pietà, & ammonito, & esortato tutti generalmente alla vita, esemplare, e riforma de' costumi, e specialmente alle persone Ecclesiastiche con dar' alcuni Editti generali, si come per det-*

to Editto hauete inteso, nulladimeno non contentandosi de' i rimedij vniuersali ci hà parso venir'a' i particolari.

Et però in virtù del presente Nostro Editto ordiniamo, e comandiamo tutte le cose seguenti da osseruarsi inuiolabilmente da tutte le persone Ecclesiastiche nostre suddite per quel che tocca à loro, e da qualsiuoglia altre persone Secolari di questa Città, e tutta la Nostra Diocesi per quel che tocca ad esse sotto le pene infrascritte.

E primieramente ordiniamo, e comandiamo che tutti, e singuli Sacerdoti, e Clerici di questa Città, e nostra Diocesi habbiano, e debbiano portar l'habito, e tonsura, cioè le vesti come sono sottane, ouero robbone, & il mantello, ouero ferriolo siano talari, e non d'altro colore, se non negre, e foderate pure di negre, e serrate così d'innanti, come nelle maniche, in modo che non possano vedersi i vestimenti di sotto, quali vogliamo, che siano di color modesto, e le calsette pure negre, ò morate, ò bardiglie, ò pauonazze, e la Tonsura che paia apertamente secondo l'ordine che tengono. E portino ancora le sberse decentemente strette al collo, non colorite: E questo sotto pena d'onze quattro d'applicarsi al nostro Procurator Fiscale per erogarsi ad opere pie. Di più ordiniamo, & espresse comandiamo à tutti, e singuli Sacerdoti, e Clerici, che non habbiano, ne debbiano portar mostaccio ribuffato, e disdeceuole, ne capellera, seù zazzara, e cecci, seù ciccioli, & hauendoli

uendoli frà il termine d' vn Mese se l' habbiano da tagliare sotto la pena a' i controuentori d'onze due d' applicarsi come sopra.

Per la decenza del stato Clericale, e sacro si probibisce à tutti Clerici, e maggiormente constituti in Ordini Sagri, che non vadino mascherati, anco per occasione di Festiuità Ecclesiastica, ne tam poco facciano officio di Medico, di Notaro, d' Auuocato, ò Procuratore appresso Corti Temporali di Tutore, ò Curatori di minori, benche consanguinei, e parenti loro strettissimi, ne meno esercitino officio d' Aromatario senza la nostra espressa licenza in scriptis sotto la pena di Carcere à nostro arbitrio.

Prohibiamo anco à tutti li Sacerdoti, e Clerici il poter portare, ò tenere in casa senza nostra licenza sorte alcuna d' arme offensiue, ò defensiue, e specialmente quelle probibite per le Pragmatiche, come sono Scopettoni, Stilletti, e simili, e trouandosi in fraganti, in quanto all' Arme probibite, oltre la pena di scommunica latæ sententiæ, anco di pagar' onze cinquanta, e prouandosi d' hauerle portato, e tenuto in casa, d' onze quaranta, & in quanto all' altre non probibite, di onze quattro, e carcere ad arbitrio Nostro.

Dipiù non possano, ne debbiano giocare particolarmente à carte, ò dadi, cosi in publico, come in priuato, ne tener giochi in casa, ne interuenire in luoghi, doue si gioca, ne esser spettatori di essi sotto la pena in quanto al gioco publico, ò barettaria in casa di onze venticinque,

e pena

e pena di carcere ad arbitrio nostro, & in quanto al priuato di onze dieci d'applicarsi come sopra.

Parimente non possano, ne debbiano andar di Notte doppo le due hore, ne vscir di casa prima dell' Aurora senza vrgente, e legitima causa, nè andar cantando, ò in compagnia d'altri che cantassero, ò sonassero sotto pena di carcere à nostro arbitrio.

Si guardino tutti, e particolarmente le Persone Ecclesiastiche di tener concubine, e questo sotto la pena (quanto alle persone libere) di onze quattro, ma quando fossero Ecclesiastici in sacris di onze dieci, e di carcere à nostro arbitrio, e quando fossero Clerici di onze dieci d'applicarsi si come sopra, & in quanto alle Donne di carcere à nostro arbitrio, alle quali pene debbiano soggiacere respettiuamente le sudette Persone Ecclesiastiche entrando in case di Donne meretrici, e dishoneste così di giorno, come di notte, onde per euitarsi anco ogni sospettoso commercio, si prohibisce à tutte persone Ecclesiastiche di poter tenere in casa Donne minori d'età d'anni quaranta sotto preteste di seruitio, ò altro, senza la nostra licenza sotto la pena di carcere à nostro arbitrio; Quando poi succedesse delitto di dishonestà (che Dio no'l permetta) in grado, e stato maggiormente prohibito, e dannato, si procederà oltre la pena di lungo carcere ad altre conforme alla dispositione delle leggi, e constitutioni Apostoliche.

Di più che i Confessori non possano, ne debbiano con-

confessar Donne fuori della gradella sotto la pena di sospensione ipso facto incurrenda, prohibendo ancora, che non possano, ne debbiano confessar dette Donne innanzi l'vscire, e doppo il tramontar del Sole: stando ne i confessionarij con la cotta, ò almeno con la stola, li giorni feriati.

In oltre prohibiamo tutti i Rettori, Gouernatori, & altri così Ecclesiastici, come Secolari, come anco alli Sagristani di tutte le Chiese il poter tenere, e ricettare in esse Chiese i refugiati senza subito auuisarlo à Noi sotto pena di carcere à nostro arbitrio.

Dichiariamo illeciti, & ingiusti quei guadagni, i quali si pigliano senza raggione di giusto titulo, di moderato interesse di lucro cessante, ò danno emergente con li requisiti, e conditioni necessarie dalle persone negotianti, e maggiormente quei che si prenderanno quelle persone le quali non tengono il denaro loro esposto à negotiatione: E condanniamo parimente per illecita, & ingiusta l'esattione delle maggiori valute fuori delli giusti prezzi delle robbe si vendino particolarmente à credenza non si possa perciò vendere più caro, quando si differisce il pagamento che quando si dà di contanti, ò vero antecipandosi il pagamento, non si possa comprar più mercato, per causa, e raggione di solo tempo antecipato, ò postposto, ò pure quando si dasse denaro ad interesse non si possa assicurare il capitale. Ne si possano fare altri contratti di qualsiuoglia maniera illeciti fittitij, e simulati,

e par-

e particolarmente sotto colore d' hauersi dato denari di contanti, non hauendosi dato, se non robbe, ò mercantie, cioè panni, lini, frumenti, sede, & altre sorti di robbe, ma quando si faranno tali contratti, si debbia dichiarare in quelli la qualità delle robbe, ò mercantie con la giusta quantità del prezzo di esse: obligando ancora in questo alli Notari che faranno tali contratti, & altri simili guadagni d' vsure così manifeste nelli denari, & altre cose che si daranno à prestito con guadagni come palliati. E particolarmente condanniamo, e dichiariamo illecita certa specie di contratto di fraudolenta pignoratione di beni, e predij che si dassero per poca somma rispetto al valore che importassero con patto, e conuentione che passato certo tempo, e non pagandosi la detta somma s' intendessero detti beni, ò predij venduti, alienati à tutti passati per l' istesso prezzo. E tutte le sudette cose, & ogn' vna di esse sotto la pena di onze venticinque, e di carcere à nostro arbitrio così alli detti vsurarij, come anco à' i Notarij, che stipulassero simili Atti, e Contratti, e mancheranno d' osseruare quanto di sopra è stato ordinato.

Prohibiamo ancora à tutti Chierici particolarmente constituti in Ordini Sacri, nostri sudditi di non prendere in affitto, ò Gabbella, Territorio, Vigne, Feghi, ò altri arbitrij, ne negotiar frumenti, vini, seda, ò altre cose fuori di quelle che li peruengano dall' effetti, e beni loro proprij sotto le pene pecuniarie, e carcere à Noi ben

viste,

viste, quando però per lo bene publico, e giuste convenienza bisognasse permettersi alle sudette persone Ecclesiastiche qualche licenza nelle cose sudette, si farà da Noi con li douuti riguardi, e circonspettioni opportune, e maggiormente sotto le medesime pene se gli prohibisce d' intricarsi à pigliar gabelle publiche frumentarie, e somiglianti per se stessi, ò per sommesse persone; E che nessuno Clerico, ò Sacerdote possi essere Collettore di Gabelle Regie, e chi l'hà, le debbia renuntiare frà il termine di giorni dieci sotto la pena d'onze dieci applicati al Fisco di detta Nostra G. C. Vescouale.

Si come anco li prohibiamo di poter pleggiare, ò obligarsi ad altri, & alienare maggiormente i beni di loro proprio patrimonio assignatoli per titulo, e causa di loro congrua sostentatione doppo d' esser stati promossi all' Ordine Sacro sotto le medesime pene pecuniarie, e carcere à nostro arbitrio, oltre la nullità dell' Atti conforme alla dispositione de' i Sacri Canoni, e Conseglio Tridentino.

Ordiniamo anco che niun Sacerdote, ò Clerico si possa seruire di donationi di beni à loro fatte senza esser prima accettate nella Nostra Gran Corte Vescouale, ne detti Clerici in minoribus possano lasciar l' habito Clericale, ne quello si possa assumere, ò ripigliare senza Nostra espressa licenza sotto la pena di nullità, e di carcere à Nostro arbitrio.

Prohibiamo anco che li Sacerdoti forastieri nõ possano celebrar' in qualsiuoglia Chiesa della

Nostra Diocesi, ettamdio di Regolari senza espressa licenza Nostra, e del Nostro Vicario Generale, ò Foraneo, nè che i Rettori, Parochi, e Sagristani li lascino celebrare, senza prima hauer' hauuto la licenza come sopra, e questo sotto la pena che arbitreremo, nè tampoco quelli lascino predicare, ministrar Sacramento, ò far' altro solenne esercitio senza la nostra licenza sotto la medesima pena.

Di più che niun Sacerdote, ò Clerico si possa partire dalla Diocesi senza le nostre lettere dimissoriali, sotto la pena di carcere à nostro arbitrio, e maggiormente questo s' intenda nell'assenza dell' Arcipreti, Vicarij, e Parochi, seù Curati delle Terre di detta Nostra Diocesi per potersi anco prouedere di buoni sustituti in occorrenze di lunghe, e giuste loro assenze.

Parimente ordiniamo che niuno Maestro di Scola così presente come futuro possa insegnare così in publico, come in priuato, se prima non sia stato da Noi esaminato, & habbia hauuto la licenza da Noi, ò Nostro Vicario Generale seruatis seruandis, sotto la pena dell' inhabilitatione à detto esercitio, e di carcere à Nostro arbitrio.

Di più similmente prohibiamo alli Rojateri di questa nostra Città, e Diocesi il poter tener Donne sotto pretesto di seruitio, parentela, ò altro senza nostra licenza, & esser state da Noi prima riconosciute sotto la pena di carcere, & altre à nostro arbitrio.

Di più che l' ostetrici, seù mammane non possano esercitar detto officio senza nostra licenza in

in scriptis, prima esaminate, sotto la pena di carcere à nostro arbitrio.

Prohibiamo ancora la conuersatione trà li sposi, e maggiormente la consumatione del Matrimonio prima di esser da loro stato dato il mutuo consenso, e sposatosi in faciem Ecclesiæ sotto la pena di scommunica, e di carcere à Nostro arbitrio.

Ordiniamo ancora che li Medici non differissero di far dar' i Sacramenti all' Infermi più del terzo giorno che haueranno visitato, & hauuto in cura quelli, protestando contra di loro il castigo del Diuino giuditio, e nostro ancora, per quando se ne morissero senza Sacramenti.

Prohibiamo anco alle Donne il pianto disordinato nella morte de' loro consanguinei, e parenti, il quale non permettiamo ecceda il termine de' primi tre giorni, e con quella modestia, e moderatione che la Christiana Religione c' insegna, sotto pena di onze due alle persone ordinarie, & all' altre conditionate di onze dieci.

E sotto pena di scommunica si prohibiscono le Donne repitatrici, così che non possano far tal mestiere incitando con quello à disordinato pianto, e graui percussion' de' visitosi, come che altra persona di quelle possa seruirsi, ò valersi per detto effetto, l' istessa pena vogliamo incorrano tutte quelle persone visitose quando il giorno di festa di precetto non andassero ad vdir Messa.

E parimente sotto la medesima pena prohibiamo l' immoderato suono delle campane nella morte di qualsiuoglia persona il quale vogliamo

si moderi nella forma seguente, cioè che nel giorno della morte si suonino, conforme è solito tre volte solamente, nell' essequie due sole volte, cioè una la sera che precede il giorno di esse essequie, e l' altra l' istesso giorno dell' essequie, mentre si celebra la Messa, nel giorno poi quarantesimo, e nell' Anniuersario una sola volta solamente, e questo mentre si canta la Messa; e ciascheduna delle volte s' intenda regolata à sessanta tocchi: Prohibiamo à i Regolari che non permettano il suono delle loro campane per conto de' Defonti, se non quando suona la campana di quella Parrocchia, alla quale và, ò è andato il defonto.

Prohibiamo anco à tutte, e qualsiuoglia persone Ecclesiastiche, e molto più Secolari di poter far l' officio, d' esorcista, così in publico, come in priuato senza la Nostra licenza sotto pena di scommunica, e di carcere à Nostro arbitrio.

Attendano i Clerici à seruir le Chiese doue sono stati assegnati con obligo di notarsi il sudetto seruitio di quattro mesi in quattro mesi in vn libro separato con la sottoscrittione dell' Arciprete, ò Parocho nelle Terre della Diocesi, & in questa Città di Patti del maggiore del Choro à chi spetta della Chiesa Cathedrale, ò nelle Parochie del Rettore di esse, e mancandosi notabilmente di detto seruitio, siano in pena di perdere loro franchezze à proprio loro danno, ed' altre à nostro arbitrio, e da Noi non saranno difesi per godere il foro Ecclesiastico, conforme alla dispositione del Sagro Conseglio Tridentino.

Tutti i Chierici di questa Città, e Diocesi constituti

stituti in Ordini minori, trouandosi in età sufficiente d' ascendere all' Ordini Sacri, debbiano deliberare frà lo spatio di mesi sei ordinarsi, ò lasciar l' habito Clericale, quando però non siano legitimamente scusati, altrimente si procederà con rimedij opportuni, e disposti per le leggi.

E finalmente per mantenersi i Clerici non ancora Sacerdoti nelli costumi esemplari alli Populi, vogliamo che in dette Chiese à loro assignate si debbiano insieme confessare al meno ogni mese, e communicarsi nella Messa maggiore, obligando l' Archipreti, e Rettori, seù Curati della Nostra Diocesi à farci auuisati del mancamento sotto la pena della sospensione à sacris ipso facto incurrenda, e di carcere in subsidium à nostro arbitrio.

Onde per arriuare alla notitia d' ogn' vno si è fatto questo presente nostro Editto legere, e publicare hoggi giorno festiuo inter Missarum solemnia, con la frequenza de' Popoli à ciò conuocati, e fattosi affiggere nelle porte delle Chiese, e luoghi prescritti. Dato in Patti nel Nostro Vescoual Palazzo alli 14. Settembre 1664.

Ignatio Vescouo di Patti.

NOS

NOS FRATER

D. MATTHAEVS FATIO

S. T. MAG. DEI, ET SANCTÆ SEDIS Apoſtolicæ gratia Epiſcopus Pactenſis, &c.

13 CONfirmamus omnia hæc ſupra relata edicta vt iacent, tàm in generali quàm in particulari ab Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Domino Ignatio Amico fel. record Epiſcopo prædeceſſore noſtro Dat. Pactis die 14. Septembris 1664. & quatenus opus eſt virtute præſentis Synodi vim, & robur eis adicimus Conſtitutionum Synodalium in ijs, quæ Decretis vt ſupra expreſsè non contradicunt. Præcipientes primæ Dignitati vel ei qui præeſt in Choro vt ſingulis annis in vna ex Dominicis Quadrageſimæ in Cathedrali inter Miſſarum ſolemnia, & Archipræsbiteris Diæceſis in ſua Eccleſia Matrice publicè legantur ſub pœna vnc earum decem. Ac inſuper vt in alia eiuſdem Quadrageſimæ Dominica ſub eadem pœna legere vt ſupra etiam faciant Decretum ſeptimum ſeſſionis primæ de Decimis, & Primitijs, &

De-

Decretum nonum sessionis tertiæ de Testamentis, & Legatis ad pias causas; vt non possit aliqua allegari ignorantia. Dat. Pa- ct. in nostro Episcopali Palatio die primo Decembris XI. Indict. 1687.

Fr. Matthæus qui supra.

DE-

DECRETVM II.

DE SEMINARIO CLERICORVM.

14 CLericorum Seminarium ad Dei Gloriam, & nostræ Diœcesis vtilitatem votis nostris vberiori segete respõdere cupientes, nostrarum Synodalium Constitutionum præsidijs adiuuandum esse putamus. In Seminarij igitur alumnos admittantur Diœcesani Adolescentes, honestiores, quòad fieri potest, opibus destituti; dummodò tanta paupertate non laborent, vt Patrimonio ad Sacros Ordines requisito careant, nisi aliundè beneficio Ecclesiastico potiantur, legitimis orti Natalibus, qui duodecimum ad minùs annum ætatis agant; litteras saltem conformare, & Grammaticæ rudimenta calleant, & quorum indoles, & voluntas spem præbeat eos Ecclesiasticis ministerijs perpetuò inseruituros.

Trid sess. 23. cap. 18.

15 Nobilium, & ditiorum filij, vel Clerici, vel Sœculares, etiam exteri, non excludantur, dummodo suo sumptu, ac eodem conuictu alantur, cum solutione antecipata tertiatim vncearum duodecim quolibet anno, studiumque præ se ferant

Deo

Deo inseruiendi, comam, & cincinnos affectatè nè nutriant, vestibus sericis omninò non vtantur, nec caligis, nisi honesti coloris, & in loco separato ab Alumnis dormiant.

16 Vbi quis in Seminarium adscitus fuerit, generalem peccatorum Confessionem apud Sacerdotem à Rectore assignatum faciat, & Sacra Eucharistia se reficiat: mox ferè octauo quoque die peccata confiteatur, Sacram autem Synaxim saltem quolibet decimo quinto die sumat, & singulis diebus Sacrosancto Missæ sacrificio intersit.

17 Manè postquam è cubili surrexerint, per horæ quadrantem circiter, feriatis, & festis diebus orationi vacent; Vespere simili temporis interuallo conscientiam attentè discutiant, Beatissimæ Virginis Rosarium, & Litanias recitent: Officium verò paruum eiusdem Beatissimæ Virginis, tùm Clerici, tùm etiam ij, qui conuiuunt in sacello diebus Dominicis simùl recitare teneantur.

18 Statim ac recipiuntur Alumni, vt decentiùs in Ecclesiastica disciplina instituantur, tonsura, & habitu Clericali coloris violacei, domi, forisque vtantur, Dominicis verò, ac festis diebus superpelliceis, & Clericali bireto induti, nostræ Cathedrali Ecclesiæ inseruiant.

19 Sedulam operam adhibeant, vt

Grammaticæ, cantus Gregoriani, computi Ecclesiastici, aliarumque bonarum Artium disciplinam teneant, Cathechismi, Synodi Tridentinæ, Sacræ Scripturæ, Sanctorumque Patrum Lectioni assuescant. Sacramentorum maximè quæ ad excipiendas fidelium Confessiones opportuna censentur, & Rituum, ac Cæremoniarum formas ediscant, ac vt vberior ex eorum Institutione in Populos vtilitas emanet, Concionandi Artem ediscere, & in priuatis dicendi formulis, aliquoties per annum se exercere studeant.

20 Quæ omnia facilè assequentur, si animæ puritatem, & vehemens proficiendi desiderium firmitèr retineant, & præcipuè si ab illorum Lectione librorum, qui res parum honestas continent, omninò caueant, quos libros legere, vel apud se retinere, aut in eorum stylo se exercere, prohibemus; quod si secùs fecerint, non leues pœnas se subituros timeant. Horum enim librorum lectio, quantum officiat puerorum moribus, quantaque afferat adolescẽtiæ vitiorum incitamenta, haud facilè queit explicari; Quamobrem discipulos suos admoneant diligentèr præceptores, vt nec obscæna, vel ipsi vnquam scribant, nec impudica scriptorum volumina euoluant, nè quid fortasse sordium animo, velut ex cõtagio adhæreat. Interim ipsimet ludi magistri in scholis abstineant illa veterum

Poe-

Poetarum carmina interpretari, quæ minùs honesta videatur, ac male olentiam sapiunt. Trid.in Indice libr. prohib.

21 In corporis refectione temperantiam, ac modestiam seruent, cui adhibenda, est Benedictio, & Gratiarum actio ad præscriptum Breuiarij Romani, & vt dùm corpus reficitur, animus non esuriat, Sacra Lectio veteris, ac noui Testamenti, Vitæ Sanctorum Patrum, & id genus alia iugiter admiscenda.

22 A Prandio, & Cœna per horam circiter à studijs vacent, honestis inter se collocutionibus, vel certè Musicæ, aut Gregoriano cantui operam dando. Nè sint rixosi, elati, voluptatum amatores, vaniloqui, sed vitia fugiant, virtutes amplectantur. Silentium suis temporibus, & quouis loco, maximè verò in Refectorio, cubiculis, gymnasio, & Ecclesia, seruent, nec priuatas familiaritates foueant, sed communis omnes amoris vinculo se prosequantur.

23 Rectori, ac Magistris in omnibus prompto animo obedientiam præstent Deo Optimo Maximo, Deiparæ Virgini, Angelis, & Patronis suis sedulò se commēdent.

24 Dato signo eundi cubitum, in lectulos se recipiant, singuli in singulis lectis cubent, nec plus octo horis somnum capiant, necessitate, vel infirmitate remota.

25 Ad alterius menſam nullus accedat, nec libros, aut quoduis aliud commodato accipiat abſque Præfecti, vel Rectoris facultate.

26 Cùm ex Seminario egrediendum erit, vna ſimul omnes egrediantur, nec vnus ab alijs ſeiungatur, niſi iuſta de cauſa id permiſerit Præfectus, qui eos aſſociat; quòd ſi alicui, raro autèm, ſeiunctim, de Seminario egrediendum erit, illi à Rectore ſocius, vel famulus præſcribatur. Extrà verò Seminarium noctes traducere, nemini liceat, niſi de noſtra, vel noſtri Vicarij Generalis licentia.

27 Rector circà Regulas, aut alias graues res nihil innouet abſque noſtra expreſſa licentia, curetque, vt omnes Regulæ diligentiùs ſeruentur, & ſingulis menſibus, vel certis anni temporibus in publica menſa perlegantur: ſuæque curæ commiſſum ſciat, vt bona Seminarij ſtabilia, & mobilia, optimè conſeruentur, paratum etiam habeat Indicem Prouentuum, bonorumque mobilium, & ſtabilium quotannis cōficiendum, & à nobis exhibendum. Studiorum Præfecti vices gerat, & quantum in litteris, omnes qui Seminarij ſcholas frequentant, profecerint, ſingulis menſibus per examen recognoſcat. Porrò indociles, diſcolos, & incorrigibiles acritèr puniat, eoſdem etiam, quatenùs opus erit, præhabita noſtra facultate dimittat.

28 Præ-

28 Præfectus, seu Minister in ijs, quæ ad Seminarij regimen spectant, Rectori se obedientem præstet, eidemque dati, & expensi vnoquoque die rationem exhibeat, nec nisi de eius consilio prouentuum administrationem exerceat.

29 Volumus autem, vt Seminarij deputati singulis mensibus, simul cum illius Rectore in Seminario conueniant, ac à Ministro expensionis rationem petant; eamque in libris ad id destinatis, redactā, vt moris est, proprijs nominibus subscribant, quæ deindè nostris, vel nostri Vicarij Generalis subscriptionibus obsignentur. Iidemque Deputati curent, vt pecuniæ, quæ ex annuis redditibus, alijsque prouentibus Seminario obueniunt, apud eiusdem Seminarij Depositarium omninò reponantur, nec indè extrahi sinant, nisi ad syngraphas ipsorum, ac Rectoris subscriptionibus firmatas.

30 Cœterum singulos Seminarij Officiales, & ad ministros in Domino admonemus, vt piæ adolescentium educationi sedulò incumbant, ac sæpiùs recogitent quantum Reipublicæ Christianæ adiumento futura sit recta puerorum institutio. Veluti enim è fundationum magnitudine molis erigendæ immanitas compræhenditur, ex effuso semine futuræ messis probitas, vel prauitas agnoscitur, sic propemodum quæ euentura sit hominum viri-

virilitas in Ciuiratum emolumentum, indicat pueritia. Dei certè docemur oraculo, quod adolescens iuxtà viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Sicuti ergo in plantarum custodia perspicaciam totam Colonus impendit, sic in Alumnis, tùm pietate, tùm litteris imbuendis potissima ipsorum diligentia est adhibenda iuxtà legem ab Apostolo impertitam: Educate illos in disciplina, & correctione Domini. Ideoque in exercitijs spiritualibus obeundis illis præsint, facemque præferant; ac vnusquisque illud eiusdem Apostoli ad Titum sibi dictum putet. In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum,

Prou. 22. *Ad Eph. 5.* *Ad Tit. 2.*

DECRETVM III.

DE

MONASTERIIS, MONIALIBVS, & Puellis, quæ in ijs educantur.

31 ECclesiæ militantis Cœlum Sacris Virginibus, veluti micantibus stellis decoratur, quæ dum Cœlesti sponso dicantur, qui pascit inter lilia, ipsum in albis sequentes, quocumque pergit; ab ipso gloria, & honore coronari merentur. Non abs re igitur tantoperè Pastorali

li nostræ sollicitudini à Sacris Canonibus, Pontificum Decretis, Concilijs, & præcipuè Tridentino, earum regimen commendatur. Quapropter muneri nostro, qua par est vigilantia satisfacere cupientes, ex ipsismet, alijsque Patrum documentis has Synodales Constitutiones, vt quæ Deo sunt Sacræ, à terrenis penitùs elongentur, & in Dei sinu, Diuinarumque contemplatione feliciùs conquiescerent decernere, ac inuiolabilitèr obseruanda proponere duximus.

S. PRIMVS

DE

DISCIPLINA RELIGIOSA Sanctimonialium.

32 COgnoscãt sanctimoniales arctiùs, quàm alij fideles Dei seruitio esse mancipatas; dùm non solùm tria vota essentialia Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ seruantes, sed etiam alia supererogationis opera exercentes, ad perfectionem, & virtutum augmentum auolare teneantur: quare, & si non sine animi nostri dolore regularem huius Monasterij S. Claræ de Pactis obseruantiam, sanctamque communem Vitam Religiosam ab antiquis hinc annis comperiremus omninò

col-

collapsam; Deo tamen Optimo Maximo fauente, meritis Beatæ Virginis Mariæ Sãctissimi Rosarij Sanctorumque Bartholomæi, Ioseph, Claræ, & Febroniæ, fore vt ex animo contingat speramus; nam qui de coelis ipso miserente in corda puellarum vitam sanctam inspirauit, humillima vota pauperum exaudiet.

33 Vndè omnes Matres, ac Sorores in Visceribus Iesu Christi hortamur, quod ad minùs dictam communem Vitam Refectorij, præsertim in Aduentu, Quadragesima, & alijs solemnioribus festis anni, quantùm vires Monasterij permittunt, simùl in vnum conuenientes, adimpleant, & sequantur. Sciantque sub culpa læthali teneri tàm Superiores omni via procurare, quod vitæ communis, & aliæ obseruantiæ leges, quantùm fieri potest, seruetur, quàm subditos, nè dum non impedire, sed etiam adiuuare Superiores, vt in Monasterijs, vbi regularis non viget obseruantia pro Viribus introducatur, aut resumatur.

34 Ordinamus igitur, vt quamprimùm tintinnabuli signo ad Chorum, Missam, vel quodcumque aliud opus aduocantur, properare festinent, se Dei voce vocari recogitantes: nec sine iusta causa à communibus officijs abesse satagant. Abatissæ, vel maiorum reprehensiones, veluti Coeleste contrà vitia amuletum patientèr excipiãt: inuicem se diligant, quod præceptum Domini-

mini eſt, & ſi ſolùm fiat, ſufficit: inuicem ſibi adiutorium in neceſſitatibus præſtent: In erroribus ſe inuicem moneant, & cum gratiarum actione correctionem ſuſcipiant.

35 Omnes ad recitandum attentè, diſtinctè, & cum deuotione Diuinum Officium Choro ſtatutis diei, noctiſque horis interſint, & nulla ſe abſentet, abſque Abbatiſſæ licentia, quam non concedat, niſi rationabilis ſit cauſa. Quod ſi ipſarum Monialium profeſsa aliqua à Choro ob iuſtam cauſam abeſſe contigerit, hac præſenti Synodali Conſtitutione declaramus, ſe ad recitandas priuatim horas Canonicas ſub culpæ mortalis reatu, omninò ex approbata conſuetudine obligari. Lectioni Sacrorum librorum, qui ad perfectionem conducunt, incumbant, ſcurrilitates, & vaniloquia fugientes in ſpiritualibus colloquijs immorentur; otiumque, quod eſt cunctorum malorum radix, toto conatu fugiant. Cùm manè ſurgunt, Deo, quidquid illo die peracturæ offerant, & ad ipſius honorem dirigant: Serò antequam dormitum eant, examine conſcientiæ præmiſſo, quidquid nouerint deliquiſſe, cordis contritione reparare conentur; vt ad Deum, vndè exierunt diluculo, iterum reuertantur.

36 Sacramentorum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Armis ſæpè muniantur, & ad minùs, ſaltem ſemel ſingulis menſibus, vt *Trid. Seſſ. 25. cap. 10.*

Mm dia-

diabolicas impugnationes faciliùs euertere queant. Confiteantur nulli alteri peccata sua, quàm Confessario ordinario à nobis designato, præterquàm cum extraordinarius aliquoties in anno deputabitur.

37 Vnaquæque munus suum, cui per hebdomadam addicta erit, sine excusatione, vt obedientia postulat, accipiat & acceptum humiliter, & diligenter exequi studeat, nec vlla ab huiusmodi ministerijs, sit exempta. Signo dormitionis pulsato per campanulam, vnaquæque in suum lectulum se recipiat, nec in eodem cubili plures cubare permittantur. Vnicuique Monialium, is locus, vt tollantur rixæ, & perturbationes, in communibus functionibus Chori, Refectorij, in suffragijs dandis, Cōfessionibus faciendis, Eucharistiæ sumptionibus, & alijs, assignetur, qui iuxtà antiquitatis gradum eis contigerit. In morte alicuius ex coniunctis Monialium non permittantur vanæ luctus ostentationes ab Abbatissa, nec ploratus plurium cum femineis vlulatibus, nec vllo modo Moniales signum aliquod lugubre in vestitu, etiā ad minimum tempus afferant, sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ per biēnium vltra illas, quæ supra in Edictis precceperamus, & alias quas infra Decr. X. de lamentatricibus trademus; sed præces Deo humiliter fundant pro Defunctorum ani-

animabus opera Charitatis exercendo, ac potius Chorum, Missæ auditionem, & alias communes functiones frequentando.

38 Res Sæcularium, etiam Ecclesiasticorum, siuè sint pecuniæ, siuè gemmæ, siuè vestes, siuè res cuiuslibet alteriùs generis, depositi, aut custodiæ causa nemini in Monasterio degenti, recipere liceat.

S SECVNDVS
DE
MONIALIVM VITA COMMVNI, & Paupere.

39 SAnctimoniales voto paupertatis obstrictæ omni debent proprio carere, omnique rerum dominio, quo in ipso professionis limine se abdicarunt. Quarè vt ipsam potiùs foueant, quàm professæ sunt paupertatem, hæc pro earum incremento decernimus.

40 In primis necessariam suppellectilem ad vsum habere sciant; nihilque stabile, aut mobile in particulari possidere posse tamquam proprium; quarè ter saltem in anno Præfecta vnà cum Vicaria, & alia ex antiquioribus Monialibus locum singularum diligenter inquirant, & si quid varium, curiosum, & ad delitias ancillis Christi minùs decens inuenerint, præcipuè

ſpecula, vnguenta, ſuffimenta, hiſque ſimilia, auferant: Pecuniæ, & res pretioſæ auri, & argenti eiſdem non permittantur, & ſi quæ ſibi, vel alicuius laboris pretio, vel liberaliter à conſanguineis collata ſint, Abbatiſſæ, vel Depoſitariæ tradantur, vt ex eis Monialis ipſius, cui donata fuere, neceſſitati prouideatur. Quæ verò ſibi collata data opera celauerit, & ſine facultate retinuerit, ſciat non ſine culpa id poſſidère, & cum Auguſtini ſententia furti iudicio eſſe condemnandam, nec non priuatione vocis actiuæ, & paſſiuæ ad trienniū, alijſque pœnis pro delicti exigentia.

Ex earum Regula.

41 A muneribus largiendis directè, vel indirectè ſine Epiſcopi facultate abſtineāt: Sciantque Decretum de largitione munerum à Clemente VIII. editum, & declarationes Vrbani VIII. eas afficere, & pœnis ibidem expreſſis ſubiacere. Ibidem permiſſa ſine Abbatiſſæ licentia elargiri non audeant, & hæc à Nobis intelliget quid parui, & quid alicuius momenti cenſeri debet, vt ſciat quouſque facultas eius in huiuſmodi licentia extendatur. Inſuper Monialis nulla Eleemoſinam dare queat, aut vendere exculenta, poculenta, & quęuis alia bona eius vſui attributa, niſi ad id ab Abbatiſſa facultate obtenta, quæ an expediat, diligenter exquirat.

42 Decernimus, & indicimus omnibus Abbatiſſis, vt infrà quatuor menſes à die publi-

publicationis huius Synodi, sub pœna priuationis ab earum officijs, inuentarium, seù scripturam conficiant coram Nostro Vicario Generali, aut Foraneo, Deputato, Confessario ordinario, & Procuratore, qua numerus Monialium, Puellarum Sæcularium, Conuersarum, famularum, Sacristarum, aliorumque Sæcularium officialium cum suis salarijs, quibus inseruiunt, declarent, nec non introitus, & exitus notent omnium reddituum, possessionum, aliorumque prouentuum cum suis decursis, & annualitatibus non solutis, ac etiam onera Monasterij, & debita cum nominibus creditorum, quibus nunc Monasteria aggrauata reperiuntur, quam scripturam ab omnibus prædictis subscriptam Nobis sub eadem pœna præsentare teneantur, & eodem modo quælibet Abbatissa nouitèr electa, deinceps infrà duos menses dictum inuentarium ad Archiuium Episcopale, sub eisdem pœnis, vt suprà, transmittat, vt quantum possumus, indemnitati Monasteriorum prouideamus.

43 Meminerint professæ Moniales proprium non habere, nec possidere, sed rerum mobilium vsum iuxtà Tridentinum, Sess. 25. c. 2. ità eis esse permissum, vt earum suppellex statui paupertatis non repugnet, vndè culcitras, conopæa, & puluinaria serica in lectulo sub pœnis nostro arbitrio infligendis, prohibemus. Ordinamusque

ad

ad extirpandum proprietatis vitium directè contrarium Religiosæ Paupertati, quod de annuis redditibus Monialium assignatis, & Monasterio incorporatis pro victu, & vestitu in earum professione, sicut etiam de alijs, si qui sunt, redditibus, vita durante, siuè post ipsarum mortem succedat Monasterium, siuè quæcumque alia persona; ac insupèr de alijs quibuscumque pecunijs quomodocumque ad Moniales peruenientibus, nulla Monialis professa disponere, nec instrumenta publica venditionis, emptionis, locationis, pignorationis, cessionis, alienationis, nec contractus, seù apocas, vt dicunt, dati, & accepti, neque alia quæcumque genera contractuū, siuè super bonis ipsiusmet Monasterij, siuè alijs ad vsum eis concessis, facere possit, aliàs nullius sint roboris, & valoris; & inobediens voce actiua, & passiua perpetuò priuabitur, & Notarius à Nobis punietur, sed hæc omnia à Procuratore Monasterij modo, quo infrà sunt efficienda, & pecuniæ ab illo exigendæ, ità vt tàm huiusmodi pecunias, quàm alias, quas Moniales manuum suarum industria, aut labore, donatione parentum, aut alio quocumque modo sibi comparant, apud Abbatissam, vel vnam, aut plures Depositarias ab ipsa Abbatissa deputatas, debeant deponere, vt Monialis cum licentia Abbatissæ, quandò necessitas oc-

cur-

currerit suæ consulat necessitati sub pœna priuationis totius illius summæ, quam depræhendatur habere, & alijs ad nostrum arbitrium,

44 Nulla Monialis potest Testamentum facere, nec tempore mortis, quæ ad suum sunt vsum concessa, reliquis etiam consanguineis, siuè intrà, siuè extrà Monasterium relinquere. Similitèr neque aliæ Moniales cognationis, amicitiæ, seruitutis, aut alio quouis titulo quidpiam ex demortuæ supellectili sibi vsurpent: Contrarium præstantes, & Abbatissa permittens, sunt excommunicandæ, à qua censura nemo eas absoluet, nisi priùs Monasterio omnia restituantur.

45 Abbatissa nullo modo patiatur pecunias Monasterij mutuò dari, & multò minùs exponi etiam cum pignoribus alicui negotiationi, & fortè non absque palliata vsura; quod idem etiam ordinamus de pecunijs ad vsum Abbatissæ, & omnium, & singularum Monialium concessis, ac aliarum in Monasterio degentium, etiam si essent Sæculares, & pecuniæ essent propriæ, sub pœna applicandi, & incorporandi huiusmodi pecunias ipsi Monasterio, sicut ex nunc pro tunc eas applicamus, & incorporamus, vltrà pœnas proprietarijs à Iure inflictas religiosis excommunicatione ferenda, & alijs pro nostro arbitrio.

46 Pro-

46 Procurator pecunias Monasterij penès se non retineat, sed statim ac exigit, Thesaurario extrà Monasterium, aut Abbatissæ, quo pacto meliùs Episcopo videbitur, consignet, & in casu, quo depositari ordinatum fuerit, intrà Monasterium, huiusmodi pecunias apud Abbatissam præsentibus duabus clauarijs, in arca Monasterij tribus diuersis clauibus obserata, quarum vna sit apud Abbatissã, alia apud Vicariam, & tertia apud antiquiorem Consiliariam; seruandas deponat, sub pœna Abbatissæ suspensionis ab officio, & Procuratori carceris ad nostrum arbitrium, quæ quidem Abbatissa, & Procurator pro tempore tam diuisim, quàm coniunctim, nullum contractum locationis, emptionis, venditionis, pignorationis, censualis cessionis, alienationis, aut alterius cuiusuis generis de bonis, & pecunijs Monasterij, aut ad vsum Religiosis concessis celebrare possunt, nec dilationem debitoribus dare sine expressa nostræ Deputationis in vnum congregatæ licentia, sub pœna nullitatis actus, & alijs suprà relatis: neque mutuum recipere, absque eiusdem consensu sub eisdem pœnis.

47 In fine autèm, aut principio cuiuslibet mensis fiat deputatio sub pœna suspensionis ab officio Abbatissæ in loco solito Monasterij; interueniant Abbatissa, Vicaria, antiquior ex quatuor Consiliarijs,

Pro-

Procuratrix, seù Dispensatrix, Protector, Deputatus, Cappellanus, seù Confessarius ordinarius, & Procurator, & aliquoties, quando ei visum fuerit, etiam Vicarius Generalis in Vrbe, & semper Vicarius Foraneus in Diæcesi, & tunc Procurator coram ipsis dati, & accepti rationem reddat in aliquo libro, in quo omnes dictos subscribere faciat, & illa Monialis, quæ officium Procuratricis faciet, scribat etiam easdem partitas in alio peculiari libro eorum, quæ recipiuntur, siuè ex redditibus, siuè ex eleemosinis, aut alia quauis causa, & ea, quæ erogantur. Deputatus autem in prima Generali Deputatione certior de rebus factus, statum Monasterij nobis referat.

48 Nullus ex prædictis de negotijs particularium Monialium, absque expressa Vicarij Generalis licentia, curam asumat, sed de litibus, contractibus, creditis, debitisque cum alijs Monialibus nec loquatur, sed tantùm cum Abbatisa, & ipsis officialibus in Deputatione interuenientibus, pertractet; qualitates commestibilium, aut aliarum rerum ad victū necessariarum à Procuratore emptarum ab Abbatisa, & Dispensatrice solùm recognoscantur, & ab eisdem acceptatis, reliquæ particulares Moniales non audeant se ingerere sub pœna deperdendi suam dictarum rerum portionem communitati applicandam; & de-

nique singulis annis Procurator coram Nobis, aut nostro Vicario Generali de omnibus his, & alijs similibus circà introitum, & exitum Monasterij, computum reddat iuxtà rationes datas singulis mensibus in libro subscripto in Deputationibus, vt videri possit, si conueniat cum alio libro Procuratricis, qui liber quolibet anno conseruandus est in Monasterio clausus sub claui tradenda Abbatissæ pro tempore. Specialitèr autèm Deputationi prohibemus, nè redditus, & introitus Monasterij maturandos expleto Abbatissarum triennio sine nostra licentia in scriptis, cedere, aut assignare valeant.

§ TERTIVS

DE

COLLOCVTIONIBVS EXTERORVM cum Monialibus.

49 DE Religiosis ad Monasteria accedentibus, & cum personis intrà septa eorumdem colloquentibus, dicemus specialiter infrà in Decreto V. de Regularibus, & exemptis.

50 In primis ergo locum, qui vulgò dicitur, parlatorio, pro colloquijs deputamus cum suis scamnis, & cratibus ferreis à parte exteriori, palmum saltem distantibus

tibus à ferreis, aut ligneis à parte interiori, quæ possint obserari, & earum claues apud Abbatissam ità diligentèr custodiri, vt absque eius facultate nemini liceat reserare sub pœna ieiunij in pane, & aqua.

51 Nullatenùs tamèn ad ianuam Monasterij, vel Confessionales, vel fenestrellam, in qua Sacra Synaxis ministratur, ad colloquendum accedant, aliàs tàm Abbatissa, quàm quælibet alia, quæ intrà septa Monasterij reperitur, si in dictis locis loquatur, vt inobediens, excommunicabitur; Huiusmodi Confessionales, aut fenestrella portam obseratam intùs habeant, claues ab Abbatissa retineantur, nullique concedantur sub eadem pœna, nisi cum ad munia, quibus sunt destinatæ, opus fuerint.

52 Nulli Moniali ad colloquendum cum hominibus, nisi cum coniunctis vsq; ad tertium gradum inclusiuè affinitatis, vel consanguinitatis, accedere liceat; mulieribus verò vsque ad quatuor protrahatur, sed semper obtenta ab Abbatissa, vel Præfecta licentia; à cœterorum collocutione sine nostra in scriptis facultate, Abbatissæ priùs præsentanda, ab eaque legenda, prorsùs abstineant sub pœna Nobis arbitraria. Verùm in Aduentu, & Quadragesima omnibus crates adire penitùs interdicimus, exceptis cognatis, vt suprà, quibus dicto tempore de quindena in quindenam id permittimus.

53 Loquendi facultate non vtatur tempore quo præcipua Monasterij festa celebrantur, vel cæteris diebus, horis, quibus Diuina recitantur, vel prandij, nec absit Auscultatrix (nisi collocutio secretum expostulet, quod cum licentia Abbatissæ, licèt raro, & in primo tantùm gradu coniunctis permittere possit) quæ fidelitèr munere suo fungatur, quod si quidpiam Ancillis Dei indignum audierit, Abbatissæ renunciare quantocitùs curet, animaduertens se Deo rationem esse reddituram.

54 Sœcularibus autèm præcipimus, vt Virginum Deo Sacrarum cætus, inquinare non audeant, multò magis Ecclesiasticis; quare ad colloquendum, nonnisi coniunctis accedant in gradu superiùs notato sub pœna carceris, alijsque nostro arbitrio ferendis. Spectacula, ludos, & cantus propè Monasteria prohibemus, quicumque verò siuè Ecclesiasticus, siuè Sœcularis circà ambitum Monasterij, quocumque tempore cantibus, & sonis, aut alijs instrumentis irrisorijs operam dederit, aut alios associauerit, prætèr pœnam vncearum decem, carceri arbitrio nostro mancipabitur, nec quisquam sine nostra expressa licentia musicam, aut cantum, vel instrumentum in Monasterijs erudire audeat, sub pœna carceris per mensem.

§. QVARTVS

DE

MONASTERII CLAVSVRA.

55 MOnasterij clausuram, quam collapsam restitui, & si inuiolata existit diligentèr conseruari Tridentina Synodus mandat; præ oculis habentes, præcipimus, vt nemini quacumque Dignitate præfulgenti intrà septa Monasterij ingredi liceat, cuiuscumque sit ætatis, sexus, conditionis, & gradus sine nostra expressa facultate in scriptis obtenta sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, & alijs per Bullas Pontificias non semèl hac de re inflictis, si ingressa, vel intromissa vsum rationis habuerit. Et similitèr etiam ipsa Abbatissa, aut quæuis alia, Monialis, Nouitia, Educanda, vel famula, eamdem pœnam incurrat, si id permiserit, aut ad talem ingressum auxilium, consiliumue dederit, etiam si puella, aut infans rationis vsu expers fuerit.

Sess. 25. cap. 5.

Pij V. const. 19. Iunij 1566. Greg. XIII. constit. 21. Iunij 1573.

56 Quicumque autem impetrata licentia in casibus à necessitate permissis ingressus fuerit, ibidem immorari plusquàm necessitas coegerit, minimè poterit, & antè signum Aue Maria, omninò à Monasterio exeat.

57 Per-

57 Pernoctare verò ità absonum, vt neque Confessario in graui morbo ad audiendam Confessionem introducto, licere declaremus.

58 Cum quempiam Sœcularem necessitas ad ingrediendum cogat, siuè sit Medicus, siuè tonsor, faber, aut alius, arma, si quæ habuerit, foris deponat, & sub pœna carceris in Monasterium inferre non audeat, campanæ signum detur ad congregandas duas, vel tres prouectiores Moniales ab Abbatissa designandas, quæ ipsum comitentur, ità vt semper sint in prospectu; quamuis ab audiendo aliquoties arceri opus foret; Cæteris Monialibus intereà in Cella, vel Oratorio, vel alio dormitorio occlusis, nè videant, nec videantur: ità tamen necessitati consulatur, vt pro muneribus ab introdegentibus fieri possibilibus, nequaquam exteriadùocentur.

59 Confessario sub pœna suspensionis ab audiendis Confessionibus præcipimus, nè in Monasterium ingrediatur, nisi de consilio Medici ad audiendam Confessionem infirmæ vita periclitantis, & ad Sacramentum Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis Sacramentum ministrandum, modo quo suprà, excepto casu, quo comitari deberet Sanctissimum Christi Corpus, tunc enim omnes cum luminibus ad interioris ianuæ limina accedant.

60 Monemus omnes, qui nostra in scrip-

ſcriptis licentia ſepta Monaſterij ingrediuntur, vt penès ſe illam afferant, & data facultate non vtantur, niſi vera,& neceſſaria ad vrgeat cauſa,& ſingulis ſex menſibus ad minùs à Noſtro Vicario Generali talis licentia renouetur.

61 Porta exterior Monaſterij duabus ſit obſerata clauibus diuerſis à parte foris, quas vir probus à Nobis deſignandus, detineat: quæ quidem, nec antè Solis ortum, nec poſt occaſum quacumque ex cauſa ſit reſerata. Interior verò ianua tribus diuerſis clauibus obſeretur, quarum à parte intus Abbatiſsa vnam, & Ianitrix alteram retineat, & tertia vectis ferreis à parte exteriori ſit penes illum virum, vt ſupra à Nobis deputandum. Cumque oportuerit aperiri, ità Ianitrix, vel ſociæ ſint ordinatæ, vt nec de foris videre, aut videri queant. Per huiuſmodi Oſtium nihil introducatur, niſi id, quod per Rotam intromitti, aut exire nequit. Verùm ipſa Rota à parte interiori, claue, que penès Abbatiſſam ſit, occludatur.

62 Parietes autèm Monaſterij ſint altitudinis eiuſmodi, vt à quibuſuis exteris introſpici nequeant Moniales, feneſtræ verò cratibus ferreis munitæ, nonniſi ad lumen recipiendum aptæ, non vt proſpectui Monialium deſeruiant.

63 Caueant denique, tàm Moniales, quàm puellæ, aut Conuerſæ in Monaſterijs de-

detentæ, nè inde egredi sine nostra facultate præsumant. Porrò Monialis, si est Professa præter excommunicationem latæ sententiæ, cui tàm ipsam, quàm comitantes, auxilium, vel consilium, aut fauorem præstantes, subijcimus, sciat tamquã Apostatam in ipsomet, vel alio Monasterio seuerè puniendam. Si autèm Sacro habitu induta, antè professionem id attentauerit, nonnisi postquam pœnitentiæ euidentissima dederit signa, & pœnas patientèr substinuisse comperiatur, ad professionem diutius protrahendam admittetur.

64 Præcipimus ergo in Virtute Sanctæ Obedientiæ omnibus, & singulis præfatis mulieribus nè audeant sub quouis prętextu sine nostra licentia è septis Monasterij exire, sed quod clausuram in Sacris Canonibus, legibus Pontificijs, Sacrę Congregationis declarationibus, atque nostris Constitutionibus pręscriptam, & à classicis Doctoribus interpretratam, inuiolabiliter sub pœnis ibidem constitutis obseruent.

65 Collocutorij, & Ecclesiæ ostia à Kalendis Iunij vsque ad mensem Octobris post Missarum celebrationem, & media hora post signum Sanctus à Matrice datum, clauibus occludantur, nec aperiantur, nisi post pulsationem Campanarum pró Vesperis eiusdem Matricis.

66 Scalę manu amouibiles non detineantur

ficantur in Ecclesia, nec intrà, nec in exteriori parte Monasterij, nisi aliqua, non tam oblonga, si esset necessaria, & de licentia Vicarij loci sub pœna Abbatissæ suspensionis ab eius officio per mensem; Nec Vicarius permittat meretrices propè Monialium Monasteria habitare.

§. QVINTVS

DE

ELECTIONE, ET OFFICIO ABBATISSÆ, ac reliquarum Monasterij officialium.

67 VT omne ambitionis amputetur germen, quod quamuis minimum, excrescit in Arborem, cuius in Ramis Dæmones incolent; sub cuius vmbra ità vitia cubant, vt omnis euertatur pax Christiana, morumque disciplina. Idcircò sub præcepto, & in Virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, nè aliqua Monialis pro se, vel alijs suffragium in electione Abbatissæ futura exquirat per exteras personas, etiam consanguineas: neque muneribus, aut minis id præstet, nec quoduis aliud faciat, quod libertati Electionis aduersatur.

68 Abbatissa non eligatur minor annis quadraginta, & quæ ad minùs octo annis post Professionem laudabilitèr non vixerit; nisi alitèr Episcopus ex necessitate iuxtà Concilij Tridentini Decreta ordinauerit: & vocales Deum præ oculis habentes, nonnisi quàm nouerint ad Dei honorem promouendum, & vtilitatem Monasterij ac obseruantiam eligere satagant. Episcopus, vel eius Vicarius accipiet per fenestrellam vota secreta vniuscuiusque cum iuramento de eligenda ad gubernandum Monasteriũ digniore; & quæ à maiori parte eligentium fuerit electa, ità vt excedant medietatem, ad gubernium sit assumpta. Singularum autem eligentium nomina nunquam publicentur.

Conc. Trid. sess. 25. cap. 7.

69 Curet Abbatissa cum charitate, & solicitudine matris officium erga sibi subditas exercere; ideòque corporis, & animæ singularum saluti consulat; Regulæ Obseruantiæ sedulò incumbat, quam aliquoties ad minùs semel in mense vulgari lingua legendam curet, ad Diuini Officij, & reliquorum exercitiorum persolutionem diligentissimam adhibeat curam, negligentes corripiat, consoletur afflictas, errantes benignè admoneat; & si quid emendatione dignum acciderit, quod per se ipsam præstare nequiuerit, id per Confessarium faciat, vel Nos certiores reddat. Infirmis, vel habituali valetudine laborantibus diligenter

genter det operam: & vni, aut alteri Monialium patientia, Charitate, & viribus corporis pollentium curam ægrotantium Sororum demandet: vt omnes Officiales, suum rectè exequantur munus, & vt pacem sectentur, omni discordiæ sublata causa; sanctitatis, & innocentiæ promoueatur feruor, inuigilet: memor aliarum, criminũ fieri participem, si desidia sua augeantur, vel minimè corrigantur, & Dei vltioni redditurum esse rationem: Quare verbo, & exemplo virtutum omnium in se specimen exhibere studeat.

70 Quolibet triennio peracta Electione Abbatissæ, ac data confirmatione, eligatur per vota secreta à maiori parte Monialium Ianitrix, & quæ Rotæ assistit, nec non Dispensatrix, quæ antiquitùs vocabatur Procuratrix; Vicaria verò, & Ianitricis socia à Nobis erunt designandæ. Insupèr ab Abbatissa deputentur etiam aliæ Officiales, quæ sint maturæ ætatis, ac spectatæ virtutis, putà quatuor Consiliariæ, Auscultratrices, Depositariæ, Procuratrix, Infirmaria, Sacristana, Magistra Nouitiarum; & Præfecta educandarum, tempus horum Officiorum erit ad Triennium, quo elapso, ipso Iure vacabunt, excepto Officio Sacristanæ, quod fieri debet, vt solitum est; & nulla ex dictis potest confirmari, seù de nouo immediatè eligi absque nostra expressa licentia sub pœna nullita-

tis actus. Verùm si aliqua earum intrà suum triennium deliquerit, etiam Officij priuatione pro qualitate criminis punietur.

71 Similitèr designantur à Nobis alij Officiales extrà Monastarium, putà Confessarius Ordinarius, qui vulgò Cappellanus Monasterij nuncupatur, ad triennium; Protector, Deputatus, Aduocatus, Thesaurarius, si de his duobus opus fuerit, Procurator, Medicus, Aromatarius, Tonsor, quorum officium etiam durat per triennium, & vbi non est contractus, ad nostrum sit beneplacitum: & tempore opportuno Confessarij deputentur extraordinarij.

§. SEXTVS.

DE

ADMITTENDIS MONIALIBVS. & in Nouitiatu gubernandis.

72 IN admittendis ad habitum, maxima habeatur inspectio, vt nonnisi eæ recipiantur, quæ à Deo vocatæ credantur. Quare in memoriam reuocamus anathema Concilij Tridentini contrà cogentes puellas ad ingressum Monasterij, aut ad emittendam professionem, vel id sine iusta causa impedientes, & alias cen-

Sess.25.cap.18 de Regularibus & Monialibus

suras

ſuras contrà recipientes aliquid pro huiuſmodi admiſſione Nouitiæ.

73 Nulla puella monacanda in Monaſterio admittatur ſine Epiſcopi, aut Vicarij Generalis expreſſa licentia in ſcriptis obtenta, nec habitus Religioſus ei concedatur antè duodecimum ætatis annum, &, poſtquam per vnum menſem ad minùs in Monaſterio verſata, labores, & Inſtituta Religionis recognouerit, ipſæque Moniales puellæ naturam, ac indolem, & mores ſint expertæ, honeſtis ſit parentibus, atque legitimo matrimonio procreata. Epiſcopus per ſe, vel per alium puellæ voluntatem exploret, & ſingulæ Moniales profeſſæ in loco ſolito capitulariter congregatæ per ſe ipſas, & non per alias ſecretum ſuffragium ferant, atque ſi ex aſſenſu duarum partium in Capitulo congregatarum, fuerit recepta, admittatur, alitèr nulla ſit admiſſio, ſeù receptio talis puellæ nouitiæ. Seſſ. 25. l. cit. cap. 17.

74 Ad habitum non admittatur, niſi, priùs Confirmationis Sacramento munita, & à parentibus integra dos pro eius ſubſtentatione aſſignetur, quæ vt ſecura ſit, à Nobis erit probanda, & Monaſterij conſenſus expetendus. Cuius fructus alimentorum nomine cum anticipata ſolutione vſque ad profeſſionem acquiruntur. Emiſſa verò profeſſione, abſolutè ſub Dominio perpetuo Monaſterij cadet.

75 Do.

75 Dotium autèm quantitas pro Monasterio Sanctæ Claræ de Pactis pro singula puella sit ad minus ducentarum vncearum, vel decem saltèm vncearum redditus annualis, non extrà territorium Ciuitatis Pactensis pro capitali tamen ducentarum vncearum ad rationem saltem quinque pro centenario, pro Monasterio verò Sancti Benedicti nostræ Terræ Sanctissimi Saluatoris redditus, seù bona sint in Territorio dictæ Terræ, & idem seruetur, quod suprà, excepto quod post mortem Monialis professæ redditus solum vncearum sex perpetuò remaneant apud dictum Monasterium, vsque dùm Moniales sint ad numerum duodenarium peruentæ, nàm, completo dicto numero duodenario, omnes decem vnceæ remanent post mortem Monialis perpetuò sub dominio Monasterij, quo pacto fit in Monasterio Sanctæ Claræ.

76 Dotales Eleemosinæ puellæ monacandæ iussu Sacræ Congregationis Cardinalium nullatenùs apud Monialium consanguineos, vel affines, relinquantur, sed antequàm huiusmodi puellæ habitum suscipiant, deponantur actualitèr apud Mercatorem, aut bancum, vel penès aliam personam fide, & facultatibus idoneam, vt statim professione emissa, ad omne mãdatum, & absque alia exceptione eas soluturam se obligando, in emptione bonorum

S. Congreg. an. 1581. 1591. & 1615. die 6. Iunij.

rum

rum stabilium, aut annuorum reddituum illicò possint implicari.

77 Capitalium quorumcumque summæ, aut alia quæcumque Monasterij deposita, coram Depositario à Nobis electo, vel in arca intrà Monasterium ad id designata, vt suprà, seruentur, nec in alium effectum, quàm in redditum emptionem, aut reemptionem ex licentia Episcopi applicentnr, alias contractus esse nullos, Abbatissam suspensam ipso facto esse ab Officio, & Procuratorem pœnam carceris per annum incurrisse declaramus.

78 Post susceptum habitum ad minùs per annum integrum sub Magistra Nouitiarum cum alijs nouitijs in loco separato ab alijs Monialibus erit: Quibus sine expressa facultate loqui non potest. Huiusmodi Nouitiarum Magistra erit Sãctimonialis, moribus, & ætate prouecta, prudentèr Nouitias in timore Dei erudiẽs, in Obedientia, & Humilitate exercens, Regularem Obseruantiam docens, ad Religiosam perfectionem assequendam, propriam abnegare voluntatem oportere; & perituras Mundi calcare delicias, vt Christo Cœlesti Sponso vnicè sint deuinctę.

79 Non permittat Abbatissa Nouitiam vllam bonorum suorum renunciationem facere; vel donationem, nisi intrà duos menses Professioni proximos, & cum Episcopi facultate, vt statuit Tridentinum, *Sess. 25 c. 16. & sess. 25. c. 17.*

quę

que effectum non sortietur, nisi professione sequuta. Episcopum itèm antè mensem curet Abbatissa certiorem facere sub pœna suspensionis ab officio, de Nouitię professione; Qui per se, vel eius Vicarium iterùm puellam examinabit, an sit coacta, an in proposito perseueret, an sciat legere, vt possit Diuinum recitare Officium, & alia habeat requisita ad profitendum necessaria.

80 His itàque premissis ad professionem admitti poterit, non tamèn antè sextum decimum ętatis annum expletum; nec sine consensu duarum partium Monialium, vt supra sub pœna nullitatis professionis, omni postposito odio, vel amore, vt in Domino videbitur expedire. Professionis item annus, dies, mensis, & annus, quo Religionis habitum assumpsit, professionemque solemnem emisit, in libro ad id specialiter deputato, dotisque memoria conscribatur, quam Abbatissa, ipsaque professa subscriptione firmabunt, vel si ista scribere nesciuerit, alia Monialis eius loco signabit, & Magistra Nouitiarum pro tempore hunc librum penès se diligentèr conseruet.

81 Tâm in habitu suscipiendo, quàm in professione emittenda, & si decens, in Ecclesijs adhibeatur ornatus, quinlętitię spiritualis signa manifestet, vanitas autèm omnis resecetur, quę spirituali connubio dedecet.

dedecet. Item nomina prophanarum mulierum à Ancillis Christi exulare debent, & ea assumi, quæ alicuius Sanctæ mulieris, vt eiusdem vestigiis inhærentes, ad perfectionis apicem auolare satagant. Omnes vocentur sub Sororis nomine, nec Don, vt vulgò dicitur, suo proprio nomini præponant. Reliqua itèm seruentur statuta pro Monialibus, quæ Nos seorsim eis præfigemus vulgari eloquio, & vim Synodalis Constitutionis habere volumus.

82 Præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ omnibus, & singulis Abbatissis, vt elapso Nouitiatus anno, si quæ sine legitima caûsa professionem solemnem emittere ad longum tempus differt, ad Nos statim deferant, vsque dùm illa profiteatur, vel habitu religioso priuetur, [illegible] opus fuerit è Monasterio expellatur. Illis verò, si quæ sint, quæ Nouitiatum expleuerunt, intimamus, vt infrà tres menses à die publicationis huius Synodi numerandos, deliberent, vel suam petere domum, vel professionem emittere.

(†)

§. SEPTIMVS

DE

PVELLIS SOECVLARIBVS in Monasterio educandis.

83 CVm aliqua honesta Puella educationis gratia in Monasterio admittitur, non nisi de Episcopi facultate in scriptis obtenta, nec non Sacræ Congregationis licentia Nobis, vel Vicario nostro præsentanda, & consensu Abbatissæ, & maioris partis Monialium professarum ad id capitulariter congregatarum admitti debet per vota secreta. Ad clausuram, & Ordinem Monasterij seruandum, sicut ipsæ Moniales, teneatur, alioquin eijci debet: nec inde egrediatur, nisi cum facultate Episcopi in scriptis, & cum amplius non est reuersura. Huiusmodi puellis Magistra præficiatur, vt in bonis moribus instruantur; non minor annorum septem, nec vltrà vigesimum quintum ætatis annum intrà septa Monasterij retineri possunt; regulæ pro ipsis à Sacra Congregatione datæ inuiolabiliter seruentur, alimenta anticipatè soluendo singulis semestribus priùs cautionem idoneam præstando, aliàs ad domum suam remittantur.

84 Edu-

84 Educandæ lectulum modestum Monialibus similem habeant, cum externis nullo modo loquantur, nisi sint sanguine, vel affinitate, proximè coniuncti, & cum debita licentia, cincinnis in auribus, coloribus in vultu, monilibus, torquibus, cæterisque eius generis rebus prophanis nõ vtantur. Vestibus hyemali tempore non sericis, sed laneis, & modesti, ac fusci coloris se induant; in Æstate verò vestes sericas omninò simplices, & planas absque vanitatum ornamentis, quæ vndique modestiam, & compositionem redolent, coloris supradicti permittimus; alitèr huiusmodi ornamenti formam si non seruauerint, illis priuabuntur, & Sacristiæ applicabimus.

85 Mulieres, quæ ad inseruiendum Communitati de nostra licentia ingrediuntur, & vulgò conuersæ, nuncupantur, sint Virgines, bonæ vitæ, & famæ, fortes, ac robustæ, prudentia, charitate, patientia, & humilitate satis ornatæ, cum alijs Monialibus Pœnitentiæ Sacramentum, & Sacrosanctam Eucharistiam accipiant, & Regulam obseruent absque Nouitiatu, & professione, habitu Conuersarum induantur, & si semel è Monasterio egredi contigerit, non ampliùs admittantur.

CAPVT QVARTVM.

DE

CONSERVATORIIS FOEMINARVM.

86 Confirmamus, & quatenùs opus est de nouo robur adijcimus omnibus, quæ à Fundatoribus, seù Testatoribus sunt disposita in limine fundationis, tàm Conseruatorij S. Rosæ de Pactis, quàm Sanctæ Annæ, & Conceptionis Immaculatæ Virginis nostræ Terræ Ioiusæ, & volumus, quòd ad vnguem inuiolabilitèr obseruentur, tamquàm Constitutiones, & Ordinationes Synodales, ità quòd ea quæ de Monasterijs, de disciplina Religiosa, de Vita communi, de Officialibus, de collocutionibus cum exteris, de Clausura, de Choro, & alijs, supradicta sunt, proportione seruata, de his etiam Conseruatorijs, & personis in eis commorantibus ordinata intelligantur, & si aliqua in presenti Synodo constituta, illis aduersari videantur, non intendimus per presentes sanctiones voluntatem Testatoris immutare, imò potiùs eam fouere, ac iuuare, vt omninò in executione ponatur.

87 Ordinamus ergò omnibus, & singulis in prædictis Conseruatorijs degentibus, vt inuiolabilitèr suas leges, & Capitu-

la Testatoris ad nutum obseruent, & si quid deest, ex ijs, quibus Monialibus suprà prouisum est, suppleatur; Si verò aliqua ex ipsis noluerit huiusmodi obseruare statuta, & nostris obedire mandatis, è Conseruatorio, facta priùs ei bina monitione, expellatur.

88 Inhibemus omnibus cuiuscumque sint conditionis, dignitatis, & gradus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrenda, & alijs pœnis ad arbitrium, nè ausu temerario, & ad malum finem aliquam harum mulierum perturbare tentent, aut quod peius est, à Conseruatorio fugiendi, auxilium præstent, aut suadeant; eamdem pœnam incurrat mulier, si consentiat, vel si infrà tres dies superiori illum tractatum non reuelet.

89 Nulla persona, etiam consanguinea in primo gradu cuiuscumque sit ætatis, gradus, & conditionis sine nostra expressa facultate in scriptis obtenta intrà septa cuiuscumque Conseruatorij ingrediatur sub pœna excommunicationis latæ sententie ipso facto incurrenda. Abbatissa verò, & quælibet alia intùs existens, si permittat, aut auxilium, consiliumque præstet ad talem ingressum, vltrà pœnam excommunicationis ejicietur à Conseruatorio; Vicarius verò Foraneus, & Procurator, si consenserint, ad nostrum arbitrium punientur.

DE

DECRETVM V.

DE

REGVLARIBVS, ET EXEMPTIS.

90 QVamuis Regulares ab initio de Iure communi Episcopis fuerint subiecti, vt pluribus Decretorum, & Decretalium Capitibus constat, (a) Postmodum tamèn plurium Summorum Pontificum indulto, ab Episcopali Iurisdictione exempti; in nonnullis tamen, tàm Pontifices in suis Constitutionibus, quàm generalia Concilia, præcipuè Tridentina Synodus Ordinarijs locorum, tamquàm Sedis Apostolicæ Delegatis subiectos esse decreuère. Quare, vt eosdem certiores faciamus, quos in vinea Domini excolenda, adiutores agnoscimus, nè in messem alienam falcē ponant, hęc, quæ de Iure sunt ab ipsis seruanda, denunciamus, vt quibus Ecclesiastica Hyerarchia, maximè decoratur, dùm intrà proprios fines, continetur, nihil contingat, vndè Hyerarchicus Ordo turbetur.

(a.) cap. abbates, cap. Monasteria 18. q. 2. cap. 4. de offic. ordin. &c.

40. Idem habet in Synodo Panormitana an. 1652. p. IV. cap. VI. pag. 251

91 Ea igitur, quæ de Verbi Dei prædicatione, professione fidei emittenda, susceptione Ordinum, Sacramentorum administratione, de Bulla contrà sollicitantes Gregoriana, processionibus, exequijs, & sepultu-

pulturis faciendis, de festis, & Ieiunijs publicandis, Decimis soluendis, de Testamẽtis, & Legatis ad pias causas, ac de Monasterijs, & eorum Ecclesijs, suprà sancita sunt, recolenda hortamur.

92 Ad alloquendum Monialibus, Regulares non accedant, sine nostra expressa, aut Nostri Vicarij Generalis licentia iuxtà formam ab Vrbano VIII præscriptam: (*b.*) quod si aliquis Regularis absque huiusmodi facultate Monialem, aut quamlibet aliam personam intrà clausuram degentem alloquatur, pretèr lęthalem culpã, quam ex Sacrę Congregationis declaratione (*c.*) incurrit; puniendus ex Bulla Gregorij XV. (*d.*) etiam venit. Nec emendicata opinio aliquorum asserentium non esse interdictum per breue tempus, etiam vsq; ad quadrantem horæ cum dimidio, Moniales, aliasque personas intrà clausuram existentes, alloqui, habet locum, quia Sacra Congregatio Concili Tridentini à Sãctissimo Domino Clemente IX. approbata (*e.*) contrarium declarauit, videlicet peccare mortalitèr, eosque sub excommunicationis, priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, alijsque contrà Regulares accedentes sine licentia ad Monasteria Monialium, statutis pœnis posse ab Ordinario, tãquàm Sedis Apostolicæ Delegato coerceri.

(b.) Constit cũ alias 12. kal. Decemb. 1623

(c.) 1. Iunij 1626.

(d.) Constit inscrutabili Nonis Febr. 1622

(e.) Die XI. Maij 1669.

93 In Ecclesijs Monialium absque nostro consensu, & facultate, aut Nostri Vi-

carij

carij Generalis in Vrbe, & Vicarij Foranei in Diœcesi Missæ Sacrificium celebrare non audeant: sicut nec earumdem Confessiones audire, etiam si sint approbati simplicitèr ad Sœculares, quia ex Clemente X. (*f.*) & alijs Pontificibus, est declaratum generalitèr approbatos ab Episcopo ad Sœcularium Confessiones audiendas nequaquàm censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subiectarum, sed egere, quò ad hoc speciali Episcopi approbatione, atque approbatum pro audiendis Confessionibus Monialium vnius Monasterij, minimè posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterij. Itidemque Confessarios extraordinarios semel Deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro vna vice audiendas, haud posse, expleta Deputatione in vim approbationis huiusmodi illarum Confessiones audire; sed totiès ab Episcopo esse approbandos, quotiès casus Deputationis contigerit.

(*f.*) *Constit. superna § 3. dat. XI. Kal. Iuny 1670.*

94 Absoluere à casibus Episcopo reseruatis nullo modo possunt ex constitutionibus Pauli V. (*g.*) Vrbani VIII. (*h.*) & Clementis X. (*i.*) qui declarat ex facultatibus per Priuilegia Regularibus concessis factā eis non esse potestatem absoluendi in casibus ab Episcopo sibi reseruatis, & per Confirmationes Priuilegiorum, quas à Sāncta Sede Apostolica post Tridentinum ob-

(*g.*) *an. 1617.*
(*h.*) *an. 1628.*
(*i.*) *an. 1670. constit. cit.*

obtinuerunt, nequaquam reuixisse Priuilegia priùs ab eodem Concilio, aut deinde Apostolicis etiam Decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absoluendi à casibus Episcopo reseruatis, & §. 7. ait habentes facultatem absoluendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, non ideò à casibus Episcopo reseruatis posse absoluere. Romæ demùm à fel. record. Alexandro VII. (*l.*) damnata est Propositio asserens, Mendicantes possunt absoluere à casibus Episcopo reseruatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

(l.) In gen. Inquis. die 2. Octobr. 1665.

95 Confessiones autem Sœcularium Regulares ex vi Tridentini,(*m.*) & aliarum Bullarum Apostolicarum (*n.*) non possunt audire, nisi approbati ab Episcopo, etiam medio examine, si id ei visum fuerit; & nouissimè Innocentius X. in sua Constitutione, & alijs, Sacræ Congregationis responsionibus ad dubia proposita pro parte Episcopi Angelopolitani, & Religiosorum Societatis Iesu, ac Clemens X. in sua Constitutione §. 4. statuit, Religiosos ab Episcopo ad Confessiones Sœcularium in sua Diæcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diæcesi eas absque Episcopi Diæcesani approbatione audire, quamuis pœnitentes subditi sint eius Episcopi, à quo ipsi Religiosi iàm fuerant approbati; & §. 5. inquit Regulares ad eiusmodi Confessiones audiendas præuio examine simpliciter,

(m.) Sess. 23. cap. 15.

(n.) B. Pij V. Constit. 133. Gregorij XV. Nonis Febr. 1622. & in dubiis à S. Congreg. resolutis. Vrban. VIII. die 30. Ian. 1629. Innoc. X. Constit. cum sicut accepimus 14. Maij 1648 & Clemen. X. Constit. superna Patris familias XI. kal. Iunij 1670.

citèr,

citèr, & absque vlla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo; secùs autèm si ab eius Vicario, aut ab antecessoribus Episcopis, approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbauit iterum examinari, aut ab eisdem Confessionibus audiendis suspendi, seù licentias illi concessas reuocari, nisi noua superueniente causa, quæ ipsas Confessiones concernat, de qua tamèn haud necessarium esse, vt in actis constet, nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, vbi eam sibi aperiri postulauerit, & §. 6. etiam declarat, quod quando Regulares cum scandalo, aut aliàs inhoneste viuunt, vel aliquod delictum committunt, per quod rationabili Episcopi iudicio videntur à Confessionibus suspendendi, vtique talis causa ipsas Confessiones concernit, & ob eam potest Episcopus Regulares à semet ipso approbatos suspendere, aut repellere à Confessionibus audiendis; ac insuper §. 3. decernit Regulares, qui in Ecclesijs sui ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diæcesano benedictionem petere, prædicare tamen posse, quamuis illam non obtinuerint. Quod si Episcopus benedictionem nè dum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidẽ Ecclesijs licere Regularibus prædicare, eosque contrauenientes ab illo, tamquam Sedis Apostolicæ Delegato, censuris, alijsque

poe-

pœnis Ecclesiasticis in vim Constitutionis fel. record. Gregorij XV. Inscrutabili Dei prouidentia, coerceri, & puniri posse, & huiusmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, (o.) si in quibuscumque Oratorijs sui Ordinis sermonem coram Populo, vel in Ecclesijs, aut ad crates Monialium eorum Iurisdictioni subiectarum, licèt clausis ianuis, & nullus Sœcularis ibi intersit, habere voluerint, non obstantibus quibusuis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis cum alijs clausulis derogatorijs, &c. Videant ex his Regulares, quòd opinio asserens Regularem semèl approbatum vbique posse Confessiones Sœcularium audire est omninò improbabilis, sicut, & quod Confessio venialium fieri possit simplici Sacerdoti etiam Regulari non approbato ab Ordinario, contra quem Episcopus procedit ex Decreto Innoc XI. tanquam Apostolicus Delegatus.

(o.) ex Triden. Sess.24. cap. 4. Innoc. X. const. cit. cum sicut accepimus, & Clemen. X. l. cit. 1670.).

Sac. Congregat. 12. Febr. 1679

96 Seruentur Sisti V. & Vrbani VIII. Constitutiones (p.) de Apostatis, & eiectis, ac fugitiuis à claustro; Regularis autèm extrà Monasterium degens etiam sui Ordinis Priuilegiorū prætextu, ex Tridentino (q.) tutus non censeatur, quo minùs si deliquerit, ab Ordinario loci, tamquam super hoc à Sede Apostolica Delegato secundùm Canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat, sicut, & quilibet alius Clericus quocumque modo exemptus

(p.) Constit. cū de omnibus 6. kal. Decembr. 1576. & 21. Septemb. 1624

(q.) Sess. 6. c. 3. Sess. 7. c. 14.

etiam Ordinis S. Ioannis Hierosolimitani ex Bulla Greg. XIII. & Tridentino (r.) Nec liceat Regularibus à suis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint; Qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento, repertus fuerit, Sacrosancta Synodus (s.) ab Ordinarijs locorum, tanquàm desertor sui Instituti, mandat puniri: sicut Regularis, qui intrà claustra Monasterij degit, & extrà ea ità notoriè deliquerit, vt Populo scandalo sit, Episcopo instante à suo Superiore intrà tempus ab Episcopo præfigendum, seuerè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat, sin minùs à suo Superiore Officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit. (t.)

(r.) Constit quæ incip. circumspecta. & Trid. Sess. 14. cap. 4. de ref.

(s.) Sess. 25. cap 4.

(t.) Sess. 25. c. 14. constit. 19. Clem. VIII. suscepti muneris ratio 1596.

97 Moniti sint Regulares prædicantes errores, & scandala disseminantes, quod ex ui Tridentini (u.) etiam si in proprijs Ecclesijs prædicauerint, ab ipso munus prædicationis interdici debere: Monetarij verò priuatiuè ad Superiores Regulares correctioni, punitioni, & Iurisdictioni Ordinarij subijciuntur ex Apostolico diplomate, (a.) sicut, & in causis fidei Ordinarijs etiam locorum, & Inquisitoribus priuatiuè quòad ipsos Regulares Superiores. (b.)

(u) Sess. 5. c. 2.

(a) Vrb. VIII in Const. 75. in Supremi.

(b.) ex cap. ad abolendā c. ex const. 26. Pauli V. Dec. Vrban. 8 4. Ap. 1633. & const. Alex. VII. licet alias 24. Aug. 1660.

98 Si contingat, vt aliquis prædictorū Regularium insurgat contrà Episcopum in

in propria Diœcesi maledictis cum scripto, vel Populum scandalizando, Ordinarius procedat, vt suprà Sess. 25. cap. 14. quod si delinquens ad aliam Diœcesim migrauerit, seruandum esse, quod præcipitur in Constitutione Clementis VIII. incipiente, suscepti muneris ratio; vt declarat Innocentius X. (c.) Si verò Officiales nostræ Curiæ Episcopalis in actu exercendi suum Officium, offendat, etiam si talis exemptus sit miles S. Ioannis Hierosolimitani, aut nostram impediat Iurisdictionem, per Nos citrà vllam exceptionem legitimè coercetur, & punietur, nec non incidet in Bullam Cœnæ Domini, vt declarauit Sacra Congregatio (d.) quam approbauit Gregorius XIII.

99 Erectio nouorum Conuentuum, seù Domorum sine Episcopi licentia fieri nequit ex Tridentino (e.) & alijs Summorum Pontificum Constitutionibus, quibus (f.) Innocentius X. addidit nullum posse erigi nouum Conuentum sine licentia Sedis Apostolicæ his verbis: hoc perpetuo prohibemus Edicto, nè deinceps aliquis Regularium Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & cuiusuis alterius Instituti, etiam Societatis Iesu in aliqua Ciuitate, Castro, Villa, seù loco ad habitandum Domos, vel loca quæcumque denouo recipere, seù Monasteria, Conuentus, vel Collegia incipere,

(c.) *Const. cum sicut accepimus in responsione ad 12. dub. die 14. Maij 1647*

(d.) *apud Fagn. c. grauem 76. de off. ord.*

(e.) *Sess. 25. c. 3. Clem. VIII. in Constitution. quoniam 3. Iulij 1603. Greg. XV. 17. Aug. 1622. Vrban. VIII. Constit. Romanus Pontifex 28. Aug. 1624 & [f] Innoc. X. const. instaurandæ Idibus Octobr. 1652.*

pere, vel fundare præsumat absque Sedis Apostolicæ licentia speciali plenam, & expressam faciente de prohibitione huiusmodi mentionem in scriptis, & gratis concedenda præuia examinatione Congregationis negotijs Episcoporum, ac Regularium præpositæ, si secùs egerint, eo ipso incurrant pœnas priuationis, & inhabilitatis, vt suprà inflictas, & nihilhominùs receptiones, fundationes, & erectiones sint ipso Iure nullæ, & inualidæ, & Domus, ac loca ipsa, ac personæ in eis degentes omnimodæ Iurisdictioni, correctioni Ordinarij loci plenè in omnibus subiaceant.

100 Qua præhabita licentia, necessarium est etiam alias obseruare conditiones, quas (g.) Vrbanus VIII. decreuit, & Innocentius X. confirmauit, scilicèt quod nullibi recipiatur Monasterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seù Regularium, nisi præter alia ad id requisita in singulis eiusmodi locis duodecim saltèm Fratres, aut Monachi, seù Religiosi degere, & ex redditibus, & consuetis Eleemosinis, detractis omnibus, vt suprà detrahendis competentèr substentari valeant ad præscriptum Decreti fel. record. Gregorij XV. hac de re editi, alioquin Monasteria, & loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, vt suprà substentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint,

(g.) *de celebr. Missar. 21. Iunij 1625. const. instaurandæ supr. cit.*

uerint, Ordinarij loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ Iurisdictioni subiecta esse intelligantur

101 Meminerint etiã Regulares, quod idem Innocentius X. omnes, & singulos Conuentus paruos Regularium virorum primùm suppræssos in dicta Constitutione, instaurandæ, & deindè ob rationabiles causas restitutos, & ipsis Religionibus denuò concessos, ac personas, tàm Regulares, quàm Soeculares in eis degentes, Visitationi, correctioni, & omnimodæ Iurisdictioni Ordinarij loci, tamquàm super hoc à Sede Apostolica Delegati, plenè in omnibus subiecit, ac subiectos esse declarauit, donec ipsorum redditus eo vsque audacti fuerint, vt in eis commodè sustentari valeant, & cum effectu substententur duodecim Religiosi ad Apostolicorum Decretorum præscriptum, idque eidem Sacræ Congregationi legitimè constiterit, & eius Decreto in singulis contingentibus casibus declaratum fuerit, & non aliter: Interea verò voluit Sanctitas sua, vt in eorum singulis ali debeant, & re ipsa alantur sex saltèm Religiosi probatæ vitæ, ex quibus quatuor ad minùs sint Sacerdotes maturæ ætatis, alioquin gratia restitutionis, & concessionis huiusmodi nulla sit, & inualida, & Ordinarij locorum in illis exequi possint, ac debeant ea omnia, quæ in alijs Conuentibus itidem suppræssis per

Constit. Vt in parui die 10. Febr. 1654.

cam-

eamdem Constitutionem ipsis demandantur, perindè ac si gratia prædictæ restitutionis, & concessionis non emanasset.

102 Ac insuper in eadem Constitutione subiunxit, quia multi sunt Conuentus, in quibus, & si præfixus fuerit numerus Religiosorum sufficiens ad obseruantiam Regularis Disciplinæ, & idcircò in suppræssione antedicta non fuerint compræhensi; (*h.*) nihilhominus siuè ob redditùum diminutionem, siuè ob Superiorum incuriam, vel malam administrationem, siuè ob carentiam Religiosorum, aut aeris intemperiem, vel quamcumque aliam ob causam prædictus numerus cum effectu in eis non alitur cum graui detrimento Regularis obseruantiæ: Sanctitas sua intendens huic malo remedium adhibere, omnes, & singulos eiusmodi Conuentus, vt præfertur non suppræssos, cuiuscumque sint Ordinis, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationis, & Instituti, etiam Societatis Iesu, aut granciæ, seù membra alterius Monasterij existentes intrà fines Italiæ, & Insularum adiacentium, in quibus nunc non aluntur, vel quandocumque actu non alentur saltèm sex Religiosi itidem probatæ vitæ, quorum ad minùs quatuor, vt suprà sint Sacerdotes maturæ ætatis, eidem Visitationi, correctioni, & omnimodæ Iurisdictioni Ordinarij loci, similitèr, vt

[h.] eadem cõstit. vt in par-uis.

Sedis

Sedis Apostolicæ Delegati plenè in omnibus præsentis paritèr Decreti vigore subiectos esse statuit, decreuit, & declarauit. Cæterùm quòad Conuentus cum pauciori numero, quàm duodecim Religiosorum erectos post diem 21. Iunij 1625. & illorum subiectionem loci Ordinario, Sanctitas sua voluit in suo robore permanère, Decretum Sanctæ memoriæ Vrbani VIII. iussu editum, cui per præmissa aliquatenùs derogare non intendit. Eadem verò Sacra Congregatio propositis 21. dubijs pro præfati Decreti meliori intelligentia, ea soluit, & responsiones, seù declarationes fuerunt approbatæ (*i.*) à Sanctissimo Domino Nostro Alexandro VII. quæ omninò videndæ sunt.

(*i.*) *Romæ 27. Iulij 1655.*

103 Abbates, Priores, Guardiani, & alij Regulares Superiores paruorum Conuentuum; qui ex vi Innocentij *X.* Decreti sub sunt Iurisdictioni Ordinarij, vocati ab Episcopo ad Synodum Diæcesanam conuenire tenentur (*l.*) ex Decreto Papæ Alexandri VII.

(*l.*) *S Congreg. 30. Maij 1661*

104 Ecclesias quascumque quomodolibet exemptas Ordinarij locorum singulis annis visitare tenentur, (*m.*) sicut commendata Monasteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præposituræ nuncupatæ., in quibus non viget Regularis obseruantia, nec non beneficia tàm Curata, quàm non Curata, Sœcularia, & Regularia qualitercum-

(*m.*) *Trident. Sess. 7. cap. 8.*

Rr que

que commendata, etiam exempta ab Episcopis, etiam tamquàm Apostolicæ Sedis Delegatis annis singulis visitentur (n.) appellationibus quibuscumque, Priuilegijs, Consuetudinibus, etiam immemorabili tempore præscriptis non obstantibus. Quod si Nobis legitimè visitantibus Monasteria Regularia, etiam exempta, aut alias quomodolibet exemptas Ecclesias, vel loca Pia, Regulares de facto resistant, & ostia claudant, possumus vim vi repellere, & illa frangere, ac etiam vocato ad id brachij Sœcularis auxilio ad nostri Iuris defensionem in actu manifestæ violentiæ Nobis illatæ, nulla prorsùs monitione præcedente excommunicare. (o.)

(n.) Idem Sess. 21. c. 8 Leo in constit. 22. Dū intrā; B. Pius V. in constitut. exposcit 23. Sept. 1571. & Gregor. XIV. in const. edita 30. Apr. 1591.

(o.) Cap. dilecto de sentent. excom. in 6.

104 Baptismi solemnitèr in suis, vel aliorum Ecclesijs, Eucharistiæ pro viatico, & extremæ Vnctionis, ac Matrimonij Sacramenta administrantes Laicis, vel Clericis sine nostra licentia, aliasque exequentes eis prohibita, à Nobis punientur, vt Iura decernunt, & si fortè curam animarum, & Sacramentorum administrationem, ex nostra commissione Regulares exempti, etiam Ordinis Sancti Ioannis Hierosolimitani exerceant, nostræ Iurisdictioni subduntur, & tamquàm Parochi tenentur conuenire ad Synodum; sicut, & si Regulares exempti non subijciantur, nec conueniantur coram Episcopo ratione Monasterij exempti, subijciuntur tamen, & possunt coram eo conue-

conueniri ratione Cappellarum non exẽptarum Iurisdictioni, ac visitationi Episcopi subiectarum. (*p.*)

105 Confraternitates, aut Congregationes Laicorum, vel Sœcularium Clericorum, etiam intrà ambitum Regularium, seù aliorum exemptorum cuiuscumque Ordinis non erigantur, nisi ex nostra licentia, & iuxtà Clementis VIII. dispositionem, si verò antè huiusmodi Decretum erectæ inueniantur, eadem pro eis constitutio Apostolica ad vnguem seruetur, (*q.*)

106 Episcopi etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegati habent Ius visitandi Hospitalia, Collegia quæcumque ac Confraternitates Laicorum, & pia loca omnia quomodocumque nuncupentur, etiam si prædictorum locorum cura ad Laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis priuilegio sint munita, non obstantibus quacumque consuetudine, etiam immemorabili, priuilegio, aut statuto. (*r.*) Vndè non solùm personæ Sœculares non exemptæ, à quibus ratione administrationis bonorum, & Eleemosinarum Confraternitatis exigemus, sed etiam eorum loca, Oratoria, Altaria, & Cappellæ nostræ subsunt Visitationi, etiam si in Ecclesiijs sint Regularium, vel intrà septa Monasterij in ijs, quæ earumdem Confraternitatum administrationem concernunt vt sæpè

(*p.*) *Cap. cum Cappella de Priuil.*

(*q.*) *Constit. incip. quæcumq; 24. Decembr. 1608.*

(*r.*) *Sess. 22. c. 8. de ref.*

pè Sacra declarauit Congregatio. (*s.*)

107 Prothonotariatus, Acolythatus, Comitis Palatini, Cappellani Regij, aut alijs huiusmodi in Romana Curia, vel extrà honorarijs titulis, & insignibus decorati, nec non alij cuicumque Monasterio oblati, vel quomodocumque addicti, aut sub nomine seruientium militijs, seù Monasterijs, Hospitalibus, Collegijs, aut quocumque alio titulo assumpti; nihil ex ijs priuilegijs detractum esse Ordinarijs intelligatur, quò minùs ij, quibus ea iam concessa sunt, vel in posterum concedi contigerit, ipsis Ordinarijs tamquàm Apostolicæ Sedis Delegatis plenè in omnibus subiecti existant, &c. non obstantibus Priuilegijs quibuscumque, etiam Religionis S. Ioannis Hierosolimitani, & aliarum militiarum. (*t.*)

(*s.*) *S. Congreg. de Episcop. & Regular. in Ebilen. 6. Decembr. 1616, & S. Congreg. Concil. in Nucer. 20. Iunij 1622.*

(*t*) *Trid. Sess. 24. cap. 11.*

108 Si quis Regularium institutus fuerit exequutor testamenti, legatorum, vel vltimarum voluntatum, quoniam hoc ad Nos pleno Iure attinet, sciat Nobis gestorum rationem, tamquàm Sedis Apostolicæ Delegato redditurum, & malè administrantem puniri posse, quo pacto etiam Administratores, seù Procuratores Monasteriorum, siuè sint Regulares, siuè Sæculares quomodolibet exempti, Nobis singulis annis suæ administrationis rationem reddere tenentur, aliàs contrà illos procedetur.

109 Con-

109 Controuersias de præcedentia inter personas, tàm Sœculares, quàm Regulares in Processionibus publicis, in tumulandis Defunctorum corporibus, in deferenda vmbrella, & alijs similibus, Episcopus, vt statuit Tridentinum, (*u.*) est Iudex competens, qui in huiusmodi litibus componendis procedit de plano summariè sine forma, & figura Iudicij, amota omni appellatione, non obstantibus quibuscumque. (*u.*) *Sess.* 25. *cap.* 13.

110 Monemus insupèr Regulares, nè habitum tertiæ Regulæ mulieribus concedant, nisi seruata forma Decreti Sacræ Congregationis, (*a.*) Nec liceat vlli Feminæ Sœculari eiusmodi habitum, nec etiam ex voto gestare, ac deferre, nisi à Religiosi Ordinis Superiore illum legitimè susceperint; & quotiès ipsæ à Nostro Vicario Generali requisitæ fuerint, licentiam, ex qua habitum gestant, exhibere teneantur, aliàs nostro arbitrio seuerè puniantur. Idem etiam prohibemus sub pœna carceris, aut exilij Sœcularibus hominibus, qui propria auctoritate habitum tertij Ordinis alicuius Regulæ assumunt, etiam sub prætextu Eremiticam ducendi vitam, aut ex voto, & deuotione. (*b.*)

(*a.*) *S. Cong. reg. Regular.* 20. *Decemb.* 1616 *in Regn. & ex que.* 23 *Ianuar.* 1642.

(*b.*) *Const. quę incip. cū alijs anno* 1590.

111 Regulares non publicent nouas Indulgentias, nisi approbatas ab Episcopo, (*c.*) & nemini liceat vllo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, vllam

(*c.*) *Trident. Sess.* 21. *c.* 9.

vllam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit, nec admittantur noua miracula, neque noua Reliquiæ adorandæ Populo exponantur absque eius licentia, & approbatione, (d.) nec libros communicent, aut euulgent sine licentia suorum Superiorum, & Ordinarij locorum approbatione (e.) Nec ob leuem Clerici Sæcularis percussionem, impertiantur absolutionem Sæcularibus, nisi facultatem à Nobis obtineant; sicut Laicus percutiens Monacum, non à Superiore percussi, sed ab Episcopo est absoluendus (f.)

112 Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum in die Resurrectionis Dominicæ nullo modo fidelibus ministrent, (g.) Nec Parochi Religiosos in Baptismo, vt susceptores, aut Patrinos admittant. (h.) Nec excommunicatos nominatim, aut vsurarios manifestos in suis Ecclesijs, aut locis Sacris sepeliant, aliàs contrauenientes puniantur, & sepultus exhumabitur. (i.) Nauibus nauticis instrumentis, gregibus, armentis, campis, vineis, & viridarijs, benedictionem, aut sanctificationem Sacris Ritibus non ferant. Censuras, & interdicta nè dùm à Sede Apostolica emanata, sed etiàm ab Ordinario promulgata, mandante Episcopo Regulares in eorum Ecclesijs publicent, atquè seruent. Similitèr dies festi, quos in Vrbe, vel Diæcesi nostra, ser-

(d.) Sess. 25. de inuoc. Sanct.

(e.) Conc. Later. Sess. X. de impress. libr. Trident. Sess. 4. delib. ed. & ex Ind. libr. prohib.

(f.) Cap. Parochies 9. de sent. excom. in fin.

(g.) Innoc. X. in causa Burdugal. 7. Febr. 1645. & in causa Angelonop. ad 17 dub. 14. May 1648

(h) Cap. placuit 2. 16. q. 1. cap. Monach. consf. dist. 4.

(i.) Cap. ad hæc de priuil. & Clemen. 1. & 2. de sepult.

seruandos præcipimus, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus obseruentur. (*l.*) In priuatis Laicorum domibus Sacrum non peragant, aut celebrent; nisi Oratoria sint à Nobis probata, nec peregrinos Sacerdotes ad celebrandum in suis Ecclesijs admittant, nisi à Nobis licentiam obtinuerint. (*m.*) Si extrà loca, ex quibus Monasteria sunt sita, quæ ritare contingat, suorum Superiorum licentiam Nobis, aut Nostro Vicario Generali in Vrbe, extrà verò Vicarijs Foraneis ostendere teneantur. Nec Defunctorum corpora leuent, aut efferant, nisi vocato, & expectato proprio defuncti Parocho. (*n.*) Infirmorum oleum ab Episcopo accipiant, atque in ijs, quæ sunt Ordinis Episcopalis ei subiciantur pro Paschalibus festis, Laicorum Domos aqua lustrali non aspergant: & in Sabbato Sancto Matrici in pulsatione campanæ debitum deferant honorem, vt priusquam Cathedralis, vel Matrix Ecclesia Paschalis lætitiæ signum dederit, eorum campana sileat; alioquin interdictis, alijsque à Leone X. Constitutis subiaceant pœnis (*p.*).

(*l.*) *Trid. Sess. 25. cap. 12.*

(*m.*) *Idem Sess. 22. de obseruā. & euit. in Missa celebr.*

(*n.*) *Sacra Congreg. 12. Ian. 1604.*

(*o.*) *In Concil. Later. constit. 22. & Ceremon.*

113 Deniquè omissis, quæ in hac Diæcesi locum habere non videntur, diligentèr attendant Regulares, vt Conseruatores ex Iudicibus Synodalibus, qui in hac Synodo à Nobis constituuntur, eligant, iuxtà Gregorij XV. Constitutionem, coram quibus conueniantur, & sciant ipsos semel

electos

electos intrà quinquennium, nisi ex legitimo capite à Sede Apostolica, vel à Nobis approbato, mutare non posse: Huiusmodi electionis publicum instrumentum penès acta nostræ Curiæ, vltrà mensem præsentare non differant. Secùs eo elapso, quamdiù iuxtà præfatam Gregorij formã non elegerint, coram Nobis conuenientur; in quibuscumque verò alijs in Iure, vel Constitutionibus Apostolicis, aut Sacræ Congregationis Decretis eis vetitis, quamuis hic non expressis, nullatenùs se intrudere præsumant.

DECRETVM VI.

DE CONFRATERNITATIBVS, & Sodalitatibus,

114 Confraternitates, Sodalitates, & Congregationes in posterum non posse erigi sine nostra expressa licentia mandamus: erectæ autem, si Regulas habent, eas omninò seruare teneantur, nec aliquod mutent, aut deleant, aut nouitèr constituant sine nostra facultate, vt si quid pro temporum varietate innouari, aut mutari opus fuerit, exactè probemus. Quæ verò Regulas, ac certam non habent viuẽdi

di formam, vel eas à Nobis, vel Prædeceſſoribus noſtris non probatas, & ſubſcriptas nullitèr erectas declaramus. Quarè infrà quatuor menſes à præſentis Synodi publicatione conſtitutiones ad Nos deferre debeant, vt examinentur, & ſi videbitur probentur, aut reijciantur.

115 Ea autèm in primis cupimus obſeruari in huiuſmodi Eccleſijs, quæ de earum ſtructura de ſacrarum imaginum,& reliquiarum veneratione, de Eccleſiæ rebus conſeruandis, & non alienandis, de Proceſſionibus, de Legatis pijs, de Immunitate, & de Miſſæ ſacrificio in hac Synodo ad eas pertinentia, continentur.

116 Inſupèr volumus, vt in poſterum à Superioribus Confraternitatum, & Congregationum expenſæ nullæ fiant ſine aſſenſu perſonæ Eccleſiaſticæ à Nobis, vel Noſtro Vicario Generali deputandæ, qui deputati appellationem ſortietur; & ſi quid alitèr factum fuerit irritum, & in ratione reddenda in computum non acceptandum declaramus, & ſi Eccleſia habuerit arcam, vbi Eleemoſinæ, vel pro Miſſis celebrandis, vel ad alium finem reponuntur: duæ ſint claues diſtinctæ, quarum vna ſit apud Superiorem, aut Procuratorem, altera penès Deputatum, idemque ſeruari volumus de Arculis, vbi ſcripturæ ad Eccleſiam pertinentes aſſeruantur.

117 In huiusmodi Confraternitatibus, & Congregationibus non adscribantur personæ facinorosæ, aut infamia aliqua notatæ; imò si quis ex iam descriptis in prauos mores abire compertum fuerit, si moniti emendationem neglexerint, modo quo fortè in Capitulis disponitur, de libro deleantur; qui verò ex alia Confraternitate, aut Congregatione dimissus fuerit, vel spontè discesserit in aliam, vel eamdem non recipiatur, nisi cum nostra facultate, si emendatus redire constiterit.

118 Superiores, seù Officiales statutis temporibus per suffragia secreta à maiori parte votantium eligantur cum præsentia Cappellani, & Deputati, quem Nos dabimus, aliàs quæcumque electio alitèr facta nulla sit, & irrita. Qui quidem nouitèr electi Superiores Prædecessorum computa cum presentia Deputati, & Cappellani in Vrbe, extrà verò coram prædictis, ac etiam Archipræsbytero, & Vicario Foraneo infrà quindecim dies recipiant, & si quid minùs benè gestum compererint, vel inutilibus, & superuacaneis sumptibus profusum ad Episcopum, seù Vicarium Generalem deferent, qui nisi administrationis rationem reddiderint, ad restitutionem compellet, & iuxtà delicti qualitatem puniet.

119 In superiores non assumantur, qui Ecclesiæ sunt debitores, nec qui bona Ec-

clesiæ,

clesiæ, etiam parua sine legitimis licentijs vendiderunt, nec sine nostra facultate post annum confirmentur, nec nisi per idem tempus vacauerint, iterum eligantur, & statim ac electi fuerint, sua nomina infrà quindecim dies apud acta Magnæ Curiæ Episcopalis teneantur denunciare, secùs ab officij administratione suspensi intelligantur.

120 Huiusmodi Ecclesiarum bona Superioris, aut Procuratoris arbitrio non locentur, sed cum consensu Deputati; seruent inuiolabilitèr, quod supra in Decreto VIII. de Ecclesiastica Immunitate fuit ordinatum circà personas confugientes ad Ecclesias sub pœnis ibi taxatis. Ad quæstuandum nemo mittatur, nisi die assignata, & obtenta priùs à Nostro Vicario Generali in scriptis licentia.

121 Nullus ex Confratribus, aut Sodalibus, etiam Superior, seù Officialis, Deputatus, vel Cappellanus sine nostra expræssa licentia quidquam Sacrum, aut prophanum ipsius Confraternitatis, Sodalitatis, aut Congregationis vendat, aut det pro pignore; contraueniens verò vnceas quatuor in pœnam soluat eidem Ecclesiæ, pratèr carcerationem ad arbitrium nostrum ipsam verò venditionem, aut pignorationem Nos irritam, & nullius valoris esse declaramus.

122 Redditus, qui Legatis pijs sunt ad-

dicti, nullo modo in alios vſus expendantur, ſed apud Theſaurarium depoſiti ſeruabuntur, vt pecunia parata inueniatur, vel pro Miſſarum celebratione, vel puellarum Matrimonio, vel alijs pijs operibus, pro quibus legati fuère; quòd ſi in alias Eccleſiæ neceſſitates erogari contigerit ex proprijs ſoluere cogentur.

123 Vt autèm Confraternitatum, & Congregationum bono conſulatur, nè expenſis ſupra vires grauentur, Superioribus, aut Procuratoribus iniungimus, vt in feſtis, Proceſſionibus, alijſque moderatè ſe gerant, iuxtà cuiuſcumque Eccleſiæ facultatem; quod, vt faciliùs aſſequamur ordinamus, vt pro quolibet horum expenſæ, à Deputato taxentur, iuxtà temporis qualitatem, cuius taſſam ſi quis exceſſerit, proprijs ſumptibus ſciat ſoluturum. Deputatus verò in Vrbe, & extrà etiam Archipresbyter, & Vicarius Foraneus, qui id in ratione reddenda compererint, & Nobis notum facere neglexerint, ad earumdem ſolutionem compellentur.

124 Procuratores Eleemoſinarum, tàm in pecunijs, quàm in alijs rebus omnium Confraternitatum, & Congregationum, quolibet menſe teneantur dare notam dati, & accepti Deputato à Nobis cuilibet Confraternitati, aut Congregationi deſignato, vt in peculiari libro ad hoc deſtinato omnes notatæ partitæ comprobari

poſſint

possint tempore nostræ Visitationis.

125 Ordinamus quoque omnibus Sodalitatum, Confraternitatum, & Congregationum Superioribus, vt à præsentis Synodi publicatione intrà quatuor menses conficiant inuentarium omnium redditnū, censuum, Iurium, & actionum, & fidelitèr in libro ad hoc specialitèr confecto conscribant, & insupèr Codicem omnium scripturarum, contractuum, &c. eaque omnia in Archiuio Nostro asseruanda Magistro Notario huius Nostræ Magnæ Curiæ Episcopalis afferant; altero exemplari sibi retento in Arca, vbi Ecclesiæ scripturæ asseruantur, reponendo, & quidquid deinceps Ecclesiæ obuenerit, vel si aliqua immutatio fieri contingat, in vtroque inuentario conscribatur, nè ex incuria Superiorum aliquid detrimenti Ecclesiæ patiantur, & ex obliuione redditus pereant.

126 In Cappellano eligendo, vel dimittendo, licentiam à Nobis petant; & similitèr in stipendio augendo, vel minuēdo. In suis Oratorijs conueniant statutis diebus, pro vt forma suarum Constitutionum præscribit, ad Sacram Eucharistiam sumendam, vel ad alia religiosa obeunda exercitia; nullatenùs tamen post occasum Solis, vel ante ortum; quod pariter intelligi volumus de Sodalitatibus, & Congregationibus cuiuscumque sint generis, & Instituti sub pœna nostro arbitrio infligenda.

127 In

127 In Dominica verò Palmarum, Ramos in suis Oratorijs benedicere non audeant; aut initio Sanctæ Quadragesimæ Cinere benedicto aspergi, sub pœna carceris Cappellano, vel alteri Sacerdoti id præstanti, & interdicti ipsius Ecclesiæ.

128 Librum habeant, in quo nomina, & cognomina Confratrum, qui recipiuntur, describantur, nec non diem, mensem, & Annum. Caueant autèm, ne in aliquo admittendo, vel dimittendo (quod nonnisi à maiori parte Confratrum fieri debet sub pœna nullitatis) amore, vel odio ducantur, sed ex legitima causa in suis Constitutionibus expressa.

129 Confraternitates, & Sodalitates singulis annis visitentur. Administratores, tàm Ecclesiastici, quàm Laici fabricæ cuiusuis Ecclesiæ, etiam Cathedralis, Hospitalis, Confraternitatis, Eleemosinæ, Montis Pietatis, & quorumcumque piorũ
Sess. 22. c. 8. & 9. locorum, singulis annis ex Tridentino teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus, & Priuilegijs quibuscumque in contrarium sublatis: nisi secùs fortè in Institutione, & ordinatione talis Ecclesiæ, seù fabricæ expræssè cautum esset; quod si ex consuetudine, aut Priuilegio, aut ex Constitutione aliqua loci, alijs ad id Deputatis ratio reddenda esset, tunc cum ijs adhibeatur etiam Ordinarius, & alitèr factæ liberationes

nes dictis Administratoribus minimè suffragentur.

130 Districtè denique præcipimus, vt omnes abusus euellamus, Cappellanis, ac Superioribus Confraternitatum, vel Sodalitatum, aut Congregationum, nè in suis Oratorijs, Ecclesijs, Sacristijs, vel ipsius Cappellani ædibus, admittant ludos, & conuentus illicitos; quòd si huiusmodi compererint, & Nobis renunciare neglexerint, Cappellani suspensionis, Superiores verò excommunicationis pœna plectentur; si autèm licentiam, aut consensum præstiterint, vncearum decem mulctam persoluant.

DECRETVM VII.

DE

EXCOMMVNICATIONE.

131 AD morum correctionem maximè iuuat excommunicationis gladius, qui neruus est Ecclesiasticæ disciplinæ ad subditos in officio continendos: sed quia eius percussio grauissima est, nàm excommunicatus ex D. Augustino à diabolo possidetur, & Ecclesia pro illo non orat, nec mortuo (quod Parochi frequentèr admoneant) nonnisi pro graui contumacia

Trid. de ref. Sess. 25. cap. 3.

Idē Trid. l. cit.

macia infligi debet, & rarò, & contrà eos, qui alitèr corrigi non possunt, cum id principalitèr fiat, vt excommunicatus resipiscat, & Dei atque Ecclesiæ Præceptis obediant, secundùm quod à Sanctis Patribus accepimus. experientia enim docet, si temerè, aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potiùs parare, quàm salutem. Vndè si aliquis excommunicetur, seù excommunicatus à legitimo Superiore declaretur, ab hoc spirituali fulmine percussus, debet timore perterritus contremiscere, se ab Ecclesijs, & aliorum consortio amouère, iuxtà formam Concilij Lateranensis, ac parti, si quam læsit, satisfacere, ad hoc vt à Superiore paratus humilitèr exequi, quæ iniuncta fuerint, denouo ad consortium, & fidelium communionem admitti possit; intereà excommunicatus præ oculis habeat verba Gregorij relata à Gratiano sententia Pastoris, siuè iusta, siuè iniusta timēda est, & illa irretitus pro excommunicato se gerere tenetur, vltrà quod, & participans cum dicto excommunicato, minorem incurrit excommunicationem, cuius effectus est perceptione Sacramentorum priuare, licèt ab ea quilibet Sacerdos approbatus ad Confessiones audiendas possit absoluere.

sub Leone X. const. ad custodia.

Cap. sentent. 11 q. 3.

Cap. nuper de sentent. excom.

132 Excommunicatus publicetur in omnibus Ecclesijs Ciuitatis, vel loci, sonitu

campanatum præmisso, eaque denunciationis sententia publicè in foribus Ecclesiæ affigatur, vt omnibus pateat contumacia, & vt ipse excommunicatus ad sanam mentem, vel sic punitus redire curet; nostrumque erit iudicare, an in tota nostra Diœcesi oporteat idem publicari. *Cap. cura 11. q. 3.*

133 Absolutio de excommunicatione quando fieri debet post satisfactionem debitam, cum publica fuerit denunciatio, publica esse debet, & præmittendum est iuramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, & similia peccata non committendi, & obseruandum id, quod secundùm Ius, aut de consuetudine, & pro vt in Rituali Romano est notatum. *Cap. cum aliquis 11. q. 1. Ca. ex tenore de sentent. excom.*

134 Forma absolutionis in foro externo erit issa: Dominus Noster Iesus Christus te absoluat, & ego authoritate ipsius, & Sanctissimi Domini Nostri Papæ N vel Illustrissimi Episcopi N. mihi commissa, absoluo te à vinculo excommunicationis, in quam incurristi, vel incurrisse declaratus es, proptèr tale factum, vel causam, &c. & restituo te Communioni, & vnitati fidelium, & Sanctis Sacramentis Ecclesiæ. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Si tamen excommunicatus quis esset ob multas causas exprimere eas oportebit, quamuis in foro conscientiæ satis sit habere intentionem illis verbis absoluendi ab omni excommunica-

 tione,

tione, etiam propter quamcumque causam.

135 Post publicam denunciationem, si excommunicatus paruipendat censuram, vel post tres menses ab excommunicationis notitia, absolutionem non curat, eos Parochi omnes, elapso dicto termino Populis, cunctis Dominicis diebus intrà Missarum solemnia denuntient esse vitandum, vt faciliùs veluti à somno excitatus, resipiscat; & Vicarius eius nomen ad Nos transmittat. Si verò per annum in excommunicatione insordescat, Nobis referant, vt de opportuno prouideamus remedio, aliàs Vicarius, & Parochus seuerè punientur.

136 Attentis præmissis litteræ Monitoriales in nostra Curia, vel excommunicationis pœnæ comminatoriæ pro rebus deperditis, aut furtim sublatis pro scripturis, aut alijs caussis, vt patet illis verbis Sessione 25. cap. 3. ferri solent pro sciendis, & reuelandis delictis occultis: non concedantur, nisi rerum deperditarum, aut subreptarum valor, summam saltem vncearum quatuor attingat: Magistri verò Notarij, Actuarij, & alij, quorum interest, in huiusmodi litteris apponant clausulam, vt illarum Actores illis tantùm vtantur ad ciuiles actiones, & causas, atq; vtilitatem, non ad criminalem vindictam, aliàs nullam fidem faciant in Iudicio, imò

nullas

nullas esse, & irritas, & tam Iudices, quam Actores, seù partes violatæ fidei pœnam inuoluisse declaramus.

137 Rursùs post quam huiusmodi reuelationes metu excommunicationis fuerint receptæ, inuigilent, ne alicui exemplaria tradant, ad hoc, vt ex illis probet suam intentionem coram Iudice competenti, si aliquam infamiæ notam efficere posse dubitetur, aut criminale alicuius particularis personæ conspicietur, aut periculum scandali forte nascatur.

138 Monemus etiam Confessarios, quòd antequam quis excommunicatus in Curia nominatim denuncietur, pro rebus deperditis, & furto subtractis, vt supra, si ea parti restituet, vna cum expensis, eius causa factis, possunt eum absoluere, si verò negotium ad forum contentiosum fuerit deductum, & in nostra Curia excommunicatus nominatim denunciatus, si restituerit, eum possunt etiam absoluere, cum onere se coram Nobis præsentandi, vt absoluatur in foro Ecclesiastico modo consueto.

139 Huiusmodi autem litteræ Monitoriales, seù expeditiones Mandatorum pro rerum subtractarum, & deperditarum restitutione, seù illarum, & illas subtrahentium reuelatione, ex Beato Pio V. dari debent ad eorum dumtaxat instantiam, quorum ciuiliter interest, seù qui habent

Const. Sanctissimus in Christo Pater An. 1570 die 27. Iu.y.

aliquod interesse, & in subsidium, quandò veritas aliter haberi non potest, & personas orator prorsùs ignorat: vndè si sciretur detentor, & posset contrà illum agi via ordinaria, non deberent concedi Monitoria, nisi deessent testes ad probandam veritatem negotij: tunc enim possent moneri, qui scirent, vt testimonium perhibeant, si eorum nomina ignorantur, sed si sunt certi, potest fieri eis præceptum, quod veritatem deponant sub pœna excommunicationis coram Iudice competente.

140 Debent autèm Monitoria formari contrà detentores non restituentes, & contrà scientes apud quos reperiantur talia bona, aut ea accipientes, & non reuelantes; sed non debet dici quicumque sciuerit talia bona fuisse furto subtracta, reuelet, vel qui talia bona iniustè detinet, restituat, vel quandò Monitoria sunt contrà retinẽtes scripturas, vel scientes apud quem reperiuntur, ex quibus apparet aliquod debitum; non debent nominari omnes personæ, intèr quas fuit debitum contractum, sed tantùm debet dici, quicumque sciuerit, vel retinuerit scripturas, ex quibus videtur aliquid deberi, putà Francisco, restituat, vel reuelet, non exprimendo nomen debitoris, quæ omnia fieri debent ob periculum infamiæ.

141 Itèm quandò hæres petit Monitoria contrà scientes bona hæreditaria, si est

fa-

factum inuentarium, fiant contrà scientes bona hæreditaria, non contenta in inuentario.

142 Rursùs super facto proprio non concedantur Monitoria, quandò non præsumitur ignorantia, nàm si Petrus mutuauit Paulo V. G. centum, & petat Monitorium contrà scientes tale mutuum, non conceditur, quia aut testes fuerunt præsentes, & tunc præsumitur, quod pars petens Monitorium, cognoscat dictos testes, & sic cùm sint certi, non conceduntur Monitoria generalia, sed fit præceptum testibus, vt suprà, quorum nomina pars exprimit, aut testes non fuerunt præsentes, quandò fuit factum mutuum, & tunc neque concedi potest Monitorium contrà scientes, quia non adfuerunt testes. Verum si factum esset antiquum, & præsumeretur obliuio, alitèr est dicendum.

143 Denique si aliquis opponat de nullitate Monitorij concessi à Magna Curia Episcopali non datur terminus ad dicendum de nullitatibus; sed opponens auditur sine termino, & reuocatur, vel approbatur Monitorium, nàm sæpè huiusmodi nullitates opponuntur ad dilatandum, & vbi de salute animarum agitur, procedi debet simplicitèr, & de plano, &c.

DE-

DECRETVM VIII.

DE

VSVRA.

144 INter abominabilia præsenti æuo frequentiora vitia, non minorem sibi vendicat locum Vsura, quæ à Sacris, tùm veteris, tùm noui testamenti litteris damnatur, à pestifera ortum ducens Auaritiæ radice, quæ Apostolo teste, est Idolorum seruitus, in tot diuisa ramos, varijs veluti folijs prætexere tegumenta honestatis quæritat in ijs, quæ omni humano, & Diuino Iure improbitatem scelestam redolent.

145 Nos igitur malis hisce omnibus occurrere volentes, in memoriam reuocamus, quæ circà hanc materiam prohibita sunt in Edictis, & declaramus Vsurariam prauitatem committi quandò aliquid vltrà sortem principalem à mutuatario exigitur; neque eo ex capite licitam esse pluris mutuata pecunia acceptionem, quia mutuator ad non repetendam sortem vsque ad certum tempus pactum inijt: neq; alio adiumento excusari, quià numerata pecunia potior est numeranda, & nullus est, qui non maioris faciat pecuniam præsentem,

cap. Vsura. cap. plerisq; 14. q. 3.

sententis, quàm futuram. Hæc enim figmenta iam luce irradiante Decretorum Alexandri fœlicis recordationis, & Innocentij, quem Deus per Sæcula sospitet, in nihilum redacta, ac profligata ceciderunt. Quinimò nec aliquid tamquam ex gratitudine, & beneuolentia debitum creditorem exigere posse iam ex eisdem instruimur.

anno 1666. 18. Martij propos. 42.
an. 1679. die 2. Martij propos. 41.
Innoc. XI. vt supra proposit. 42.

146 Nouerint item solùm aliquid vltrà sortem in mutuo accipi posse ratione iusti tituli damni emergentis, vel lucri cessantis; sed hoc quidèm moderatè ità, vt damnum emergens, aut lucrum cessans non excedat; & ab ijs tantùm accipi posse, qui verè, & realitèr cum effectu pecuniam negotiationi expositam habent, nec tamèn anticipatim exigere queunt.

147 Declaramus insupèr sicca cambia, quæ cambij quidem figuram repræsentant, reuera tamèn cambia realia non sunt; cuiusmodi sunt enumerata à Beato Pio V. in duplici Constitutione, illicita, & vsuraria. Itèm illicitos, & vsurarios contractus decernimus eos, quibus merces, & quæcumque alia plùs iusto currente pretio venduntur ob expectatam solutionem; sicuti, & eos, quibus ob anticipatam solutionem minùs infimo currente pretio emuntur.

Pij V. Constit. Kal. Septembr. 1568. & 7. Febr. 1571.

148 Vetamus insupèr omnes contractus venditionis cum pacto retrò venditionis, præuiè inito respectu eiusdem personæ,

qui

an. 1679. propos. 40. qui nomine contractus Mohatræ ab Innocentio XI. sunt damnati: omnesque alios contractus fictos, simulatos, & illicitos; præcipuè eos, in quibus, cum re vera pecunia non sit data, sed merces; pecuniam fuisse mutuatam perhibetur: sed volumus mercium qualitatem declarari, & iusti pretij quantitatem, earum valori respondentem. Item prohibemus aliam contractus speciem, qua bona, aut prædia venduntur carta gratia redimendi, vt dicitur (quæ potiùs est oppignoratio) ob longè minùs pretium, quam eorum valor existit cum pacto, & ex conuentiöne, quòd nisi intrà certum tempus venditor redimat, intelligantur vendita, & absolutè alienata; seù vt vulgò dicitur, (à tutte passate,) in hoc enim plura intercedunt ab omni Christianæ legis pietate aliena, illicita, vsuraria, & iniqua.

149 Omnibus his igitur, tam perniciosis Reipublicæ sceleribus occurrere volentes: Declaramus in primis omnes hos cōtractus, & quemcumque eorum nullos, irritos, & eorum Auctores ad instrumenta rescindenda cogendos. Insuper Confessarijs mandamus, nè si aliquos deprehenderint, huiusmodi vsurarijs contractibus, vel negotiationibus vacasse, eis absolutionis beneficium impendant, nisi vel restituisse constet, vel cum effectu restituant; vel saltèm moralis certitudo restitutionis sequuturæ,

turæ, quam iuramento firmatam promittent, refulgeat. Si verò non benè negotiationum species distinguant, & licita ab illicitis discernant; cauti sint nè in Iudicium præcipites abeant, sed ad doctiores remittant. Parochis autem præcipimus, vt quos manifestè constiterit vsurariam prauitatem exercuisse, si impœnitentes moriantur, Ecclesiastica priuent sepultura. Si verò signa pœnitentiæ exhibuerint, sed ob temporis breuitatem restitutionem minimè executioni dederint: nonnisi postquam ab hæredibus sufficientes sint præstitæ fideiussiones pro Vsuris restituendis, sepulturæ tradant.

150 Itèm omnibus mandamus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrenda, nouem dierum termino pro trina Canonica monitione ex nunc pro tunc eis indicto; vt si quempiam nouerint hos illicitos contractus, vel quemlibet eorum, vel aliquam aliam vsuræ speciem exercere, vel exercuisse, Nobis, vel Vicario nostro in Vrbe, extrà verò Vicarijs Foraneis secretò denuncient, vt criminosos huiusmodi paternis admonitionibus corrigere valeamus.

151 Denunciamus tandèm omnibus Vsurarijs, vel Notarijs, seù Tabellionibus huiusmodi vsuraria instrumenta conficientibus, nec non proxenetis, seù mediatoribus ad idem cooperantibus: Nos eos præ-

Vu tèr

tèr censurarum fulmina, quibus à Regione fidelium separabimus, carceris, vel viginti quinque vncearum pœna punituros: nec non ad Vsurarum restitutionem compulsuros.

DECRETVM IX.

DE SACRIS REPRÆSENTATIONIBVS.

152 ET si prophanæ repræsentationes non modicum persæpè Christianæ Pietati afferant detrimentum, non minùs pietatis specie eiaculatur humani generis hostis, in Sacris Martyrum, vel Sanctorum gestis repræsentandis: Aliquandò namque multa inhonesta, vel saltèm indecora, apocripha, & ab Historica veritate prorsùs aliena, dùm commiscentur, non paruam audientium auribus offensionem ingerunt. Quarè hoc præsenti statuto decernimus, in primis huiusmodi repræsentationes in quouis sacro, vel prophano loco recitari non posse, nisi priùs per Nos, vel Vicarium Nostrum Generalem accuratè ea quæ repræsentanda sunt, cognoscantur, & circumstantijs loci, cæterisque perpensis, licentia obtineatur in scriptis, qui secùs facere ausus fuerit, pœnis arbitrio nostro plectetur.

153 In

153 Insupèr omnibus nostræ Diæcesis Clericis prohibemus sub pœna vncearum quatuor, nè tàm in sacris, quàm prophanis repræsentationibus recitare audeant, sine nostra in scriptis licentia: quam quidem in Sacris constituti pro prophanis minimè obtinebunt.

DECRETVM X.

DE

OBSTETRICIBVS, LAMENTATRICIbus, & Ludimagistris.

154 QVoniam obstetrices sæpè necessitas cogit, vt infantibus Sacramentum Baptismi ministrent: idcircò præcipimus, nè aliqua huiusmodi munere fũgatur, nisi priùs per Nos examinata, an baptizandi formam optimè calleat; licentiam in scriptis obtinuerit; & iuramento se obstrinxerit pauperculas mulieres gratis in partu adiuturam.

155 In Defunctorum exequijs, cum comperissemus aliquas aduocari mulieres, quæ lamentatrices vocantur, quæ Gentilium more, ploratus, & vlulatus nonnullis versibus intermiscentes, potiùs pietati Christianæ videntur aduersari, & mortuorum propinquos, ad immanes percussiones, &

gemitus excitant, quod aliquandò idem facit strictior in gradu, quam alij prosequuntur. Idcircò sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrenda, alijsque nostro arbitrio reseruatis, prohibemus huiusmodi mulieres adhiberi; quas quidem pœnas incurrent, tam ipsæ lamentatrices, etiam defuncti consanguineæ, quàm ipsas adhibentes, nec non vlulantes, associantes, assistentes, & quomodòcumque præsentes. Idem à fortiori sub eisdem pœnis obseruetur in omnibus Monasterijs, & conseruatorijs nostræ Iurisdictionis.

156 Ludimagistris nonnisi fidei professione præmissa, & licentia nostra in scriptis obtenta admittendis, sub pœna vnceæ vnius: ordinamus, vt pueros, qua par est pietate bonis moribus instruant, & ad Sacramentorum frequentiam hortentur. In declaratione Æthnicorum, quos pro eloquutione, & linguæ latinæ peritia patimur, omnem prophanitatem vitare studeant, & qua decet modestia explicent; Nonnulla, quæ eorum animis præiudicium afferre possunt, omittant, ac fabulosa, & inuenta Poetica, (nè eorum mentibus falsitas pro veritate insedeat) esse quæ leguntur, inculcent: in testimonio ferendo pro ijs, qui ad ordines suscipiendos mittuntur, veritatem, omni postposito affectu, fateri, aliàs rationem

in

in tremendo Iudicio reddituros, hortamur, & in Domino obtestamur.

DECRETVM XI.

DE CONCVBINARIIS, & Adulteris.

157 LVxuriæ vitium hominem è rationis fastigio ad barathrum immunditiæ deijciens, bestiarum stabulis consortem efficiens; à sacris paginis detestatum; quod Ecclesia vniuersalis, Sacraque Concilia, tùm minis, tùm monitis, tũ pœnis à Christiana Republica propellere, ac eliminare conantur; omni qua possumus sedulitate eradicare cupientes; Imprimis admonemus omnes perditos homines in statu concubinario viuentes, & maximè Ecclesiasticæ militiæ adscriptos, quod Sacrosancta Tridentina Synodus statuit videlicet, huiusmodi tàm solutos, quàm vxoratos, cuiuscumque status, dignitatis, & conditionis existant, si postquam ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas nõ eiecerint, seq; ab earum consuetudine nõ seiunxerint, excommunicatione feriendos esse; à quà non absoluantur, donec re ipsa ad- *Sess. 24. c. 8. de ref. Matr.*

admonitioni factæ paruerint. Quod si in concubinatu per annum, censuris neglectis, permanserint; contrà eos ab Ordinario seuerè pro qualitate criminis procedatur. Mulieres, siuè coniugatæ, siuè solutæ, quæ cum adulteris, seù concubinarijs publicè viuunt, si tèr admonitæ non paruerint, ab Ordinarijs locorum, nullo etiam requirente, ex officio grauitèr pro modo culpæ puniantur; & extrà Oppidũ, vel Diœcesim, si id eisdem Ordinarijs videbitur, inuocato, si opus fuerit, brachio Sæculari, eijciantur: alijs pœnis; contrà adulteros, & concubinarios inflictis, in suo robore permanentibus.

158 Sed animaduertant hanc trinam monitionem tantùm requiri, quandò id generis nequissimi homines ob suam obstinationem essent excommunicandi, non verò quando Ordinarius ad punitionem procedit pecuniarijs pœnis, alijsque vel à Iure communi, vel à Diæcesana Synodo taxatis, vt sæpissimè Sacra Congregatio Cardinalium declarauit; ac proindè hãc in præsenti factam monitionem Concubinarijs, & Adulteris, prætèr eam, quę in nostris Edictis in Dominica Quadragęsimæ singulis annis in tota Diæcesi pronunciatur, vim trinæ, & robur obtinère declaramus, & quatenùs opus est de nouo statuimus.

159 His igitur sanctis vestigijs inhærẽtes, pœnas à Sacris Canonibus contrà huiusmo-

iusmodi scelestos homines impositas in memoriam reuocamus, atque omnibus, & singulis cuiuscumque sint Ordinis, status, conditionis, aut Dignitatis in Iesu Christi visceribus hortamur, vt concubinas deserãt, & ab earũ conuersatione abstineant; ad Deũ toto corde, à quo recesserunt, reuertantur, omnisque scandali rationem tollant; aliter excommunicationis fulmina, aliasque constitutas pœnas tàm contrà sæculares, quàm Ecclesiasticos eiaculabimus Et meminerint Confessarij damnatam esse hanc propositionem ab Alexandro VII. Non est obligandus concubinarius ad eijciendam concubinam, si hæc nimis vtilis esset ad oblectamentum concubinarij, vulgò regalo, dùm deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficilè inuenireur. *Die 2. Octob. 1665 prop 41.*

160 Præcipimus autem, vt faciliùs pestem hanc profligare valeamus, omnibus, & singulis huius nostræ, Diæcesis incolis, vt infra spatium dierum nouem, quos pro trina Canonica admonitione præfigimus; quibus elapsis, excommunicationem incurrisse sciant; vt quos in concubinatu, siuè concubinam domi, siuè extra retinuerint, viuere compræhenderint, Vicario nostro in Vrbe, extrà verò Parochis, vel Vicarijs foraneis denunciare teneantur.

161 Parochis etiam iubemus; vt quos dia-

diaboli seruitio in huiusmodi scelere mancipatos nouerint; omni humano postposito respectu, solum Deum præ oculis habẽtes, statim moneant; quòd si moniti non resipuerint, ad Nos deferant; statuimus autem, vt quorum delictum, etiam antè Parochi monitionem constiterit; si fuerint soluti, carceris per bimestre, & vncearum decem pœnam luant: Si verò vxorati, vel Ecclesiastici, carceri per annum, & vncearum viginti solutioni subiaceant: exilio quoque plectendi sunt, qui alitèr corrigi non poterunt. Mulieres quoque ipsas monemus; vt infrà spatium dierum quindecim à præsentis Synodi publicatione, à diabolico concubinatus statu recedant; aliâs fustigatione, carcere, exilio, alijsque puniantur pœnis.

162 Qui autem lenocinijs vacant, siuè mulieres ad peccandum inducentes, siuè domos ad peccandum prouidentes, siuè mulieres meretricium exercentes domi retineant, seuerè puniantur; & quidem si fæminæ fuerint fustigatione, exilio, alijsque plectentur pœnis: Si verò viri, præter alias nostro arbitrio ad triremes erunt damnandi: Imò, vt omnis auferatur peccandi occasio; in ipsis hospitij domibus mulieres retineri prohibemus, nisi per Nos fuerint recognitæ; sub pœna arbitrio Nostro infligenda.

163 Contrà incestuosos quoque, vèl

Vir-

Virginum ſtupratores, aut fortaſsè inuitas rapientes; vel alia quæcumque beſtialitatis, aut Sodomiæ ſcelera committentes; grauioribus pro criminis qualitate procedetur pœnis, etiam pecuniarijs, & vt Iura diſponunt.

DECRETVM XII.

DE

VICARIIS FORANEIS, ALIISQVE Curiæ Epiſcopalis Miniſtris.

164 QVoniam Epiſcopalis Curia norma debet eſſe cœterorum; vt omnis ab ea amoueatur Iniuſtitiæ ſpecies; omnibus noſtræ Curiæ Miniſtris mandamus, vt vnuſquiſque pro ſuo officio, diligentem adhibeat curam pro criminibus extirpandis; omnem tamèn fugiat cupiditatem, memor illius Exodi 23. Non declinabis in iudicium pauperis, nec accipiàs munera, quæ etiàm excęcant prudentes, & ſubuertunt verba Iuſtorum. Quarè prætèr conſuetam, & taxatam, nihil accipiat mercedis pro ſingulis actis faciendis: In exequendis etiam Superiorum mandatis, modeſtè ſegerat, nemini vim inferēs, ſiuè per se, ſiuè per alios; alitèr à Nobis ſeuerè punietur.

165 In processis, siuè ciuilibus, siuè criminalibus, in citationum terminis, cœterisque ritus in Regno receptus obseruetur.

166 Vicarij foranei, qui in locis nostræ Diæcesis, cùm Nos præsentes vbique esse non possimus, vices gerunt, in sui muneris exequutione ità se agant, vt neminem grauent, omnemque exempli, & integritatis normam præbeant, cum Archipræsbytero pacem habeant, delicta inquirere satagant, & illorum denunciationem, vel accusationem, quandò nulla subest odij, inimicitiæ, famæ, vel alterius scandali suspicio, cautè, ac prudentèr recipiant, & ad nostram magnam Curiam transmittant; vt examinetur, an pro capiendis informationibus sit delegandum; si autem semiplena saltem delicti probatio constiterit, & fugæ periculum immineat, quamuis delinquentem in carcerem conijcere permittamus, ad Nos tamen transmittere satagant; nec in vincula coniectos emittant sine Nostra, vel Vicarij Generalis licentia, nisi postquam in pœnam alicuius rei parui momenti, ad plùs per viginti quatuor horarum spatium ab ipsis fuerint carceri addicti.

167 Ea, quæ pertinent ad vitam, & honestatem Clericorum diligentèr ab omnibus obseruari curent, & harum Synodaliũ Constitutionum, & ordinationum, ac Edictorum, vt suprà promulgationem; ac obser-

seruantiam, permaximè procurent. Ecclesiastica bona vt conseruentur operā nauent, nùm Sodalitates, Congregationes, & Confraternitates sanctè, & pacificè suum institutum, & Nostras ordinationes obseruent; nùm Ecclesiastici statutis temporibus ad casus conscientiæ lectionem conueniant; nùm Subdiaconi, & Diaconi, & alij Clerici in minoribus communiæ, aut Ecclesiæ, cui adscripti sunt, inseruiant, cum obedientia, atquè Sacramentorum vsum frequentent; nùm Peregrini, & ignoti Præsbyteri ad Missas celebrandas sine Nostra licentia admittantur, inuigilent; & Nos de his omnibus certiores faciant, vt opportunis occurramus remedijs.

168 Parocho in extremis vitam agente, nè libri ad illius officium spectantes deperdantur, omnem curam habeant: Confratres sacco indutos cooperta facie incedere cogant, obseruantiam festorum curent, diligentiam, vt pueri doctrinam ediscant Christianã, adhibeant; libros aut imagines, antequam venales exponãtur, recognoscant, quæstuari absque Nostra licentia inscriptis intrà, aut extrà oppidum non permittant, exceptis ijs, qui facultatem à Nobis taxatis diebus per annum impetrarunt, & ea solùm forma, & cum imagine suæ Confraternitatis propria concedant.

169 Clericos in laicorum Tribunali

Iuridicè interrogari, aut testimonium dicere, aut accusare, seù denunciare sub pœnis à Nobis statutis non sinant, nec acta contrà quemuis vllo prætextu, etiam defensionis colore, aut alio titulo ad sæcularem Iudicem transmitti permittant sub pœna vncearum decem, tam ipsis, quàm alijs Ministris, qui ea, vel consimiles scripturas tradunt. In actibus Iudicialibus taxam consuetam non excedant, nec ab alijs Ministris excedi patiantur, in ciuilibus negotijs rei leuis vsque ad summam tantùm vnciæ vnius ipsimet terminare queant: Si verò maioris sint valoris, ad Nostram Magnam Curiam remittant: Vicarij tamèn nostræ Terræ Sanctissimi Saluatoris ad summam vncearum duarum se extendere de Nostra licentia valeant, causà maioris distantiæ.

170 Animaduertant Vicarij totius Diæcesis, vt in sua Matrice Ecclesia, aut etiam in alia, vt moris est, Dominica præcedenti dies festiui, & Ieiunorum de præcepto inter Missarum solemnia Populo denunciēt, & confirmamus etiam id continuari debere in Cappella S. Calogeri Sanctissimi Saluatoris.

171 Prohibemus verò omnibus Archipræsbyteris, & Vicarijs nè vllo modo permittant in quibuscumque Ecclesijs, aut locis recitari Litanias, aut alias Orationes, vel præces, quæ in Breuiario Romano, aut Mis-

ſali, à Beato Pio V. Clemente, & Vrbano VIII. emendato, recognito, & approbato, non reperiuntur, nec vllus audeat antè Ortum, aut poſt Solis Occaſum alios congregare ad aliqua ſpiritualia exercitia peragenda, etiam ſi interueniat Cappellanus, aut quælibet alia Eccleſiaſtica perſona, aliàs Archipræsbyter, & Vicarius huiuſmodi recitationes, & exercitia permittentes modo, quo ſupra, ſint ab eorum officijs ipſo facto priuati, & alij huic noſtræ ordinationi contrauenientes, vnceas quatuor ſinguli ſoluant, & excommunicationem latæ ſententiæ ipſo facto incurrant.

172 Fides pro ordinibus ſuſcipiendis, pro patrimonio, pro denunciationibus, aut alijs quibuſcumque cauſis dandas, non præcibus concedant, ſed quod in Domino veritas expoſcit, faciant, quas ſi falſas, & non veras eſſe conſtabit, ſciant pœnis arbitratu noſtro ipſos Vicarios eſſe puniendos, de concubinarijs, adulteris, & inceſtuoſis Nos moneant, ſicut & de mulierculis in honeſtis, quæ in hoſpitijs degunt, & de illis, qui eas in ſuis ædibus recipiunt, etiam per vnicum diem, aut noctem, & interim inuicem diſiungant, aut expellant, & eos de non conuerſando ſimùl tunc iniunctos pœnis ſolitis ſub fideiuſsione de ſe præſentando ad omne Curiæ mandatum, quò voluerint abire, non impediant; & iniunctionum huiuſmodi, & quarumlibet aliarum cauſa-

rum,

rum; postquam in libro Magistri Notarij erunt notatæ exemplar ad Nos transmittãt, hæc & alia, quæ in sui muneris exercitio necessaria videntur, exactè obseruare faciant, memores ipsos primariò dictis, & factis exequi debere, quod ab alijs exigunt; & si aliquod dubium insurgere pro legum interpetratione, aut morum correctione videbitur, Nos consulant.

173 In processionibus seruare faciant, quod Nos in earum Decreto stabiliuimus; & insuper ordinamus, quod in Choro funeralibus, cœterisque functionibus, quibus Clerum interesse contingit, Vicarij foranei post Archipræsbyterum, primum locum obtineant, excepto Terræ Montaneæ Regalis Clero, vbi Rector Parochus Sanctissimæ Annuntiationis post Archipresbyterum locum habet, ipsique succedat Vicarius, vt mos iam dudum cæptus seruatur; alij verò Sacerdotes dictæ Terræ inter se, vt consuetum est, tàm in Clero, quàm extrà, sedeant, & incedant.

174 Assessores diligentes sint in visione scripturarum; omneque studium adhibeant in causarum decisione, vt omni exuti passione, Iustitiæ iura tueantur; nec alicuius causam suo patrocinio tuendam suscipiant; memores se Deo rationem esse reddituros. Cùm autem eos à partibus recusari contingerit, nè sub prætextu ficto inimicitiæ, aut alio, studium potiùs protrahen-

di

di Iudicia lateat, volumus, vt in eorum recusationem iuxtà Pragmaticas Regni in Nostra Curia procedatur.

175 Fisci Patrono, seù Aduocato Fiscali omnem commendamus solertiam in causis inquirendis; sed parìtèr vt Ministros Ecclesiasticos decet, pietatem, & æquitatem, ideòque Dei Gloriam, & Ecclesiasticæ Disciplinæ reformationem præ oculis habens ad Innocentum oppressionem non abutatur, nullamque causam, quam ex odio, vindicta, & inimicitia ad se delatam suspicetur, suscipiat. Recognoscat informationes, & processus, omnesque actus ità ordinet, vt de singulis reddere valeat rationem, & circà omnia, quæ sui muneris sunt, diligentèr, & prudentèr segerat.

176 Magister Notarius cum suo Actuario, qui intèr præcipuos Ministros Curiæ refulget cautè custodiat, & conseruet acta omnia, registretque omnes Nostras ordinationes, & mandata, præsertim quæ fieri solent in Nostris visitationibus, omnium informationum, processuum, quærelarum, accusationum, cœterorùmque instrumentorum, tàm ad ciuiles, quàm ad criminales causas pertinentium, in libro cum suo Indice notam habeat, & singulis annis Nobis in Archiuio asseruandam tradat, nihilque addatur, vel deleatur.

177 Claues, quibus huiusmodi originales scripturæ custodiuntur, Magister No-

ta-

tarius nemini prorsùs concedat, sua manu notabit, & subscribet conuenientem summam iuxtà nostrarum Pandectarum præscriptum pro Processibus, & alijs scripturis assignatam, in fideiussionibus recipiendis attendat, nè inhabiles recipiat, aliàs de proprio soluet. Litteræ Monitoriales, citatoriæ, inhibitoriæ, & cuiusuis generis aliæ non registrentur, nisi Nostra, aùt Vicarij Generalis manu debitis subscriptionibus sint obsignatæ; singulæ decisiones, sententiæ definitiuæ, Decreta Iuridica, quæcumque litteræ patentes, aut aliæ consimiles non tradãtur, si in calce cum scripto testimonio Registri non fuerint expedita, Patrimonia pro Ordinibus tempore ordinationum recolligat, & Archidiacono ostendat, quæ ab ipso visa, & recognita ad Vicarium Generalem eorum defectus, & dubia referat, vt deindè examinata sufficientia, validitate, quantitate, legalitate, & alijs necessarijs, ipse Vicarius respuat, aut subscribat.

178 Præparentur ab eodem Magistro Notario Codices in Archiuio omninò separati cum suis proprijs titulis, in quibus promoti ad ordines, approbati ad Confessiones, & Prædicationes, litteræ Sacræ Congregationis Cardinalium, rescripta Pontificia, & Apostolicorum Delegatorum, sententiæ, præsentationes, Institutiones, ac resignationes beneficiorum, excommunicationes, suspensiones, interdicta, & absolutio-

tio-

tiones, causæ Matrimoniales, pia legata, illorum exequutores, qui fidei professionem emiserunt, atquè Examinatorum, Deputatorum, reliquorumque Officialium N. M. C. nomina describantur, aliàs eius negligentia grauiter plectetur.

179 Capitaneus quoque Procuratores Fiscales, carceris custos, & Herarij, cæterique quibus incumbit delicta inquirere, vt colligantur, & puniantur, in administratione Iustitiæ sint assidui, informationes tamen non accipiant; nec contra aliquem procedant ad capturam, nisi Nobis, aut Nostro Vicario Generali de veritate, vel infamia constiterit, & ad id priùs potestate impetrata: nihilque per metum, aut minas extorqueant, alitèr officij priuatione, dupli restitutione, alijsque punientur pœnis: intrà limites sui officij se contineant, illudque fidelitèr exequantur: noctuque non excurrant, nisi ex speciali mandato Nostro, vel Vicarij Generalis, quotiès ad reos capiendos, vel inquirendos opus fuerit.

(✝)

DECRETVM XIII.

DE

POENITENTIARIO.

Seß.24.cap.8. 180 SAcrosancta Synodus Tridentina statuit, quòd in omnibus Cathedralibus Ecclesijs, vbi id commodè fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis cum vnione præbendæ proximè vacaturæ ab Episcopo instituatur, qui Magister sit, vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel Iure Canonico, & annorum quadraginta, seù aliàs qui aptior pro loci qualitate reperiatur, qui dùm Confessiones in Ecclesia audiet, interim præsens in Choro censeatur. Quapropter Nos, vt eius monitis obsequentes reddamur, & facilior ad peccatorum veniam pateat veluti ad Patrem pius recursus, deputamus in Nostrum in Vrbe Pœnitentiarium Admodum Reuerendum S. T. D. D Philippum Pisciotta Canonicum, cui facultatem damus absoluendi ab omnibus casibus; & censuris Nobis de Iure, consuetudine, vel in Synodo reseruatis cum omnibus gratijs, & Priuilegijs ipsi ex tali Officio competentibus. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

DE-

DECRETVM XIV.

DE

IVDICIBVS SYNODALIBVS, DELEGAtis ad causas.

181 IVdices Synodales, ad quos causæ, litterarum auctoritate Sedis Apostolicæ, vel Legatorum eiusdem committuntur; qui & Delegati à Bonifacio Papa VIII. appellantur; ex Tridentina Synodo Sess. 25. cap. 10 debent esse Viri, doctrina, ac probitate insignes, in Ecclesiastica Dignitate constituti, vel Personatum obtinẽtes, seù Ecclesiarum Cathedralium Canonici. Nos igitur in hac Diæcesana Synodo hos Iudices electuri, ipsos monemus, vt terminandis causis quanta fieri poterit breuitate studeant, & litigantium artibus, & effugijs resecandis incumbant, Si in Iudices Conseruatores à Regularibus, vel exemptis eligantur iuxtà Gregorij XV. Constitutionem, ipsos à manifestis iniurijs, & alijs in dicta Constitutione expræssis defendant; nec coram alijs causæ illorum ab Actoribus inchoari, prosequi, & terminari sinant. In præsenti autem Synodo infrascriptas personas designamus, statuimus, eligimus, ac approbamus, & si ali-

Cap. statutum de rescriptis in 6.

Const. incip. sanctissimus in Christo. Romæ 1621. die 20. Septembr.

qua earum mori contingerit, aliam in eius locum vsque ad futuram Synodum cum consilio Capituli substituemus.

IVDICES SYNODALES ad causas Delegati.

382 ADm. Reu. V. I. D. D. Vincentius Fatio Abbas, & noster Vicarius Generalis.

Adm. Reu. V. I. D. D. Antoninus Florulli Canonicus Prior.

Adm. Reu. V. I. D. D. Placidus Accordino Canonicus Archidiaconus.

Adm. Reu. V. I. D. D. Antoninus Marotta Canonicus Cantor.

Adm. Reu. V. I. D. D. Ioseph Martiano Canonicus Thesaurarius.

Adm. Reu. D. Simeon Dominedò Canonicus Archipræsbyter.

Adm. Reu. V. I. D. D. Antoninus Accordino Canonicus.

Adm. Reu. D. Placidus Manescalco Canonicus.

Adm. Reu. V. I. D. D. Blasius Muni Canonicus.

Adm. Reu. Sacrorum Canonum, & S. T. D. D. Philippus Pisciotta Canonicus.

Adm. Reu. V. I. D. D. Ioannes Martiano Canonicus.

Adm. Reu. D. Antoninus Fortunato Canonicus.

Adm.

Adm. Reu. D. Antoninus Amico Canonicus.

Adm. Reu. D. Franciſcus Proto Canonicus.

Adm. Reu. D. Antoninus Perdichizzi Canonicus.

DECRETVM XV.

DE

EXAMINATORIBVS Synodalibus.

183 EX Sacri Concilij Tridentini Decreto ab Epiſcopo Examinatores in Diæceſana Synodo ſunt proponendi, & ab illa probandi, vt ex ipſis eligat quos maluerit pro examine, tùm ad ordines, tùm ad Eccleſias Parochiales, & beneficia promouendos. Qui quidem Examinatores ex eodem Tridentino ſunt Magiſtri, ſeù Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut Iure Canonico, vel alij Clerici, ſeù Regulares, etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam Sæculares, qui ad id videbuntur magis idonei. Hoc igitur Nos Decretum exequutioni mandare cupientes, hos ſequentes Examinatores proponimus, quibus in memoriam reuocamus nihil accipere poſſe ab examinandis, nec antè, nec poſt exa- Seſſ.24 c.18.

examen, alioquin Simoniæ vitium, tàm ipsi, quàm alij dantes, incurrent. Insupèr nullus Examinator audeat docère ea, de quibus scit; aut putat eos esse interrogandos; neque illos cæteris Examinatoribus verbo, aut nutu commendare, sed fidelitèr omni posthabito odio, vel amore, non spe, aut metu, nulloque alio motiuo, munus suum exequi curet, nè si parum idonei ad Sacra Mysteria tractanda inducantur, Sacerdotalis vilescat Dignitas; vel si dignioribus minùs digni præponantur, Ecclesiasticæ æquitatis, & Iustitiæ corruat fundamentum. Quarè in Examinatores electi, in manibus Nostris, aut Nostri Vicarij Generalis iuramentum tenoris sequentis, adhibitis Sanctis Euangelijs, præmittere debent.

FORMA IVRAMENTI.

184 EGo N. Synodalis Examinator ab Illustrissimo & Reuerendissimo Domino Episcopo, & à Synodo approbatus, promitto, spondeo, iuro, me mandatum mihi munus Examinatoris, fidelitèr, atque integrè, omni priuato studio, affectuque postposito, ex Sacri Concilij Tridentini præscripto exequuturum. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

EXAMINATORES SYNODALES
electi, & approbati.

185 ADm. Reu. V. I. D. D. Vincentius Fatio Abbas, & Noster Vicarius Generalis.

Adm. Reu. V. I. D. D. Antoninus Florulli Can. Prior.

Adm. Reu. V. I. D. D. Placidus Accordino Can. Archidiaconus.

Adm. Reu. V. I. D. D. Antoninus Marotta Can. Cantor.

Adm. Reu. V. I. D. D. Ioseph Martiano Can. Thesaurarius.

Adm. Reu. D. Simeon Dominedò Can. Archipræsbyter.

Adm. Reu. V. I. D. D. Antoninus Accordino Can.

Adm. Reu. V. I. D. D. Blasius Muni Canonicus.

Adm. Reu. Sacrorum Canonum, & S. T. D. D. Philippus Pisciotta Can.

Adm. Reu. V. I. D. D. Ioannes Martiano Canonicus.

Reu. V. I. D. D. Conus Pisano Archipræsbyter Terræ Ioiusæ.

Reu. V. I. D. D. Franciscus de Blasi.

Reu. P. Bac. Ordin. Studij Panormitani Fr. Laurentius Maria Pisani Ordin. Prædicat.

Reu. P. M. F. Franciscus Camarda Ordin. Min. Con.

Reu.

Reu. P. M. F. Franciſcus Craſci Ord. Min. Con.
Reu. P. F. Antoninus à *Ioiuſa* Ord. Min. Refor.
Reu. P. F. Franciſcus à *Ioiuſa* Ord. Min. Refor.

DECRETVM XVI.

DE

SYNODALIBVS TESTIBVS.

186 QVamquam peruetuſta conſuetudo eligendi Teſtes Synodales in deſuetudinem videatur abijſſe; *Innocentij III.* Decretis in Lateranenſi Concilio editis inhærentes, tàm ſalutare, ac probatum munus reſtituere cupientes, proponimus infraſcriptos Teſtes Synodales, quorum erit munus ſedulò, ac aſſiduè inſpicere, & ſcrutari abſque forma Iudicij, aut Iuriſdictione, quæ correctione, & emẽdatione indigent, nè aliquid detrimenti Chriſtiana pietas patiatur; & fidelitèr Nobis, aut Noſtro Vicario perferre, vt ſpiritualibus ægritudinibus faciliùs medelam afferre valeamus.

Vt autem faciliùs ſciant, quæ ad eorum munus ſpectant, ſequentia capita inſpiciant.

An

An Legata ad pias causas suo tempore impleantur?

An præsentes Synodales Constitutiones inuiolatè seruentur?

An Parochi suo muneri satisfaciant, tùm in doctrina docenda, tùm in Sacramentorum administratione: & an aliquis eorum incuria sine Sacramentis decesserit?

An Ecclesiæ debitis seruitijs fraudentur, & eorum bona aliquo modo alienentur, vel oppignorentur?

An Clerici seruent ea, quæ de vita, & honestate Clericorum hic præcipiuntur?

An sint aliqui publicè sacrilegi, blasphemi, concubinarij, adulteri, incestuosi, vel coniuges separatim degentes, vsurarij, morum corruptores, Lenones, vel alio quouis modo cum scandalo, & Populi offensione viuentes; vel à fidei veritate declinantes? An piè, & Religiosè ieiunia, & dies festi seruentur? An superstitiosi ritus versentur? An Ecclesijs debitus honor, & Ecclesiasticæ Immunitati deferatur? Quapropter, vt præsentes Constitutiones, legesque Synodales, vt par est, inuiolatè seruentur, eos, quos pietate, & zelo insignes nouimus, ac probatæ virtutis in præsenti Synodo nominamus, & allatis Sanctorum Reliquijs, Sacramento ab Eutichiano Papa instituto sigillatim obstringimus verbis sequentibus.

FORMA IVRAMENTI.

187 EGo N. Testis Synodalis ab Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino Episcopo nominatus promitto, spondeo, & iuro, quod amodò in antea quidquid noui, & audiui, & postmodum inquisiturus sum, quod contra Dei voluntatem, & rectam Dei Christianitatem in Parochia mihi commissa factum sit, aut futurum erit, si in diebus meis euenerit, tantùm, vt ad meam cognitionem quocumque modo perueniat, si sciuero, aut mihi fuerit indicatum Synodalem causam esse, & ad ministerium Episcopi pertinere. Ego nec propter amorem, nec propter pretium, nec propter parentelam vllatenùs celabo Episcopo, aut eius misso, cui hoc inquirere iusserit, quandocumque me de hoc interrogauerit. Sic me Deus adiuuet, & hæ Sanctorum Reliquiæ.

TESTES SYNODALES pro Vrbe.

188 ADm. Reu. V. I. D. D. Antoninus Marotta Can. Cantor.
Adm. Reu. V. I. D. D. Ioseph Martiano Can. Thesaurarius.

TESTES SYNODALES pro Diœcesi.

189 IN Terra Sanctissimi Saluatoris pro Nostra iurisdictione Sac. D. Franciscus Musarra, & Sac. D. Franciscus Castano

In Terra Libritij Sac. D. Clemens Collorafi, & Sac. D. Benedictus Stuppia.

In Terra Ioiusæ Guardiæ Sac. D. Thomas Pittari, & Sac. D. Philippus Molica.

In Terra Montaneæ Regalis Sac. D. Saluator Blanco, & Sac. D. Ioannes Ferlazzo.

In Rure surrentinorum Sac. D. *Ioannes* Bonfiglio.

DECRETVM XVII.

ET VLTIMVM.

DE

CONSTITVTIONIBVS SYNODALIBVS recipiendis, & obseruandis.

190 QVoniam Constitutiones hæ Synodales, ex Sacris Canonibus, Pontificum Decretis, ac Sacræ Congregationis declarationibus, & præcipuè Tridē-

tina Synodo excerptæ, cum promulgarentur, & è suggestu legerentur, à vobis, qui vnà simul congregati in hac Diæcesana Synodo, conuenistis cum Capitulo nostræ Cathedralis Ecclesiæ, sunt acclamatæ, & per verbum, placet, sæpiùs repetitum acceptatæ, eo saltem modo, quo de iure est id requisitum, & pari Religione, ac pietate illas seruare promisseratis; Ideò Nos quoque præhabito priùsquam typis darentur, nostræ Cathedralis Capituli consilio, quòd aliquas vel addamus, seù tollamus de supradictis, aut immutemus Ordinationes, vel Constitutiones, secundùm quod Nobis visum in Domino fuerit; illas omnes diligentèr recognitas, & typis mandatas, pro vt in præsenti de verbo ad verbum iacent, statuimus, acceptamus, approbamus, & confirmamus, ac eis vim Synodalium legum, & inuiolabilis firmitatis robur, auctoritate qua Dei, & Apostolicæ Sedis gratia fungimur, adijcimus, & Vos omnes monemus, vt eas tàm in iudicio, quàm extrà seruare curetis, & ab alijs, ad quos pertinère videntur, operam vestram exhibeatis, vt earum obseruantia augeatur.

Sacr. Congreg. Conc. 27. April. 1592.

191 Sciant autem omnes, qui has Cōstitutiones labefecerint, eisque inobedientes fuerint, pœnis a Sacris Canonibus, Cōcilijs, Pontificum Decretis, & in his Nostris Sanctionibus contentis, esse puniendos; & vbi nulla certa pœna reperietur præfixa,

Nostro arbitrio, pro delicti, & personæ conditione plectendos. Verùm pœnæ pecuniariæ Nostris vtilitatibus nullatenùs applicandas esse decernimus, sed tantum pijs operibus, secundum quod meliùs expedire iudicabimus, expendantur, & distribuantur.

292 Vt igitur à quoquam ignorantia allegari nequeat, imò potiùs earum notitia latiùs diffundatur, volumus quod exemplar impræssum Clerici omnes in Sacris Constituti, tùm Pręsbyteri, & Parochi accipere teneantur, ac frequentèr in manibus habeant; vt ad eam veluti regulam, & vite suæ mores conformare, & Ecclesiarum suarum munera facilè obire possint; ac cæteros fideles eorum exemplo ad rectam sanctamque viuendi rationem adducere.

193 Difficultates verò, & controuersię si quę exortę fuerint, Nobis explicandas, & declarandas deferant.

194 Cæterum omnia, & singula hic contenta' omni animi submissione, humilitate, & reuerentia, S. R. E. Auctoritati, emendationi, & correctioni subijcimus: Deoque bonorum omnium largitori, qui dedit velle, & perficere Synodum hanc à pijs, & Religiosis Viris exoptatam (cum à tertio supra centenarium anno in hac Diœcesi non fuerit celebrata) maximas gratias agimus; Beatæque Virgini Deiparæ,

paræ, Cœlitibus omnibus, & præcipuè S. Febroniæ huius Vrbis Patronæ Laus, & Gloria per æuum. Super Vos autem Filij Dilectissimi, qui vocati estis in sortem Ministerij huius, benedictio copiosa descendat: & Charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus sit semper cum omnibus vobis. Amen.

Acta

Acta sunt hæc Pactis in Ecclesia Cathedrali plena, Synodo Diæcesana congregata in loco solito, & consueto tribus continuis diebus, Dominica 30 Nouembris festo die S. Andreæ Apostoli, feria 2. die primo Decembris, ac feria 3. die 2. eiusdem Mensis Indictione XI. Anno Domini 1687.

Secretarius V.I.D.D. Petrus Monforte.

Magist. Not.
Blasius de Xiacca.

IN-

INDEX SESSIONVM ET DECRETORVM.

SESSIO PRIMA.

de Cultu Deo exhibendo.

SESSIO SECVNDA

De Sacramentis.

SESSIO TERTIA

De Missæ Sacrificio, alijsque ad Ecclesiam spectantibus.

SESSIO QVARTA

De Beneficijs, & Beneficiarijs Personis.

SESSIO QVINTA

De Ecclesiastica Disciplina, morumque correctione.

FINIS.

